

De la Colegio de la Comp<sup>a</sup> de ss<sup>r</sup> se Gran<sup>a</sup> P<sup>a</sup>  
HISTORICA R. 27512

A C. DOCTA  
DILVCIDAQVE FRATRIS  
SIMONIS FONTANI,  
Senonensis Franciscani, Do-  
ctoris Theologi Parisi-  
sien. in lib. Ruth  
explicatio.

AD REVEREND. DOMINVM,  
D. Ludouicu[m] de Baissey, Abbatem  
Cisterciens. meritiissimum.


Corrigio este libro por orden de los señores  
inquisidores conforme al expurgatorio del  
año de 1632 en el mes de Mayo del mismo año  
No añade nada el Diego de Uhera X  
Expurg. de 1707.

P A R I S I I S

Apud Claudiu[m] Fremy, via Iacobea,  
ad insigne diui Martini.

M. D. L X.

C V M P R I V I L E G I O.



De la Colegio de la Comp<sup>a</sup> de Jezus se Gran<sup>a</sup> B<sup>a</sup>  
HISTORICA R. 27512

A C D O C T A  
DILVCIDAQVE FRATRIS  
S I M O N I S F O N T A N I,  
Senonensis Franciscani, Do-  
ctoris Theologi Pari-  
sien. in lib. Ruth  
explicatio.

AD REVEREND. DOMINVM,  
D. Ludovicum de Baissey, Abbatem  
Cistercien. meritißimum.


Corrijo este libro por orden de los señores  
inquisidores conforme al expurgatorio del  
año de 1632 en el mes de Mayo del mismo año  
No añade nada el Diego de Uhera  
Expurg. de 1707.

P A R I S I I S

Apud Claudio Fremy, via Iacobæa,  
ad insigne diui Martini.

M. D. L X.

C V M P R I V I L E G I O.



REVERENDIS. DOMINO,  
D. Ludouico de Baissey, Abbatι  
Cistercien. meritissimo,  
Claudius Fremy.  
S. D. P.

**A**nta est ingenij tui dexteritas, innataque  
prudētia (qua p̄e ceteris polles Abbas Re-  
verend.) ut quamvis granioribus tui ordi-  
nii negotiis occuperis, nihilominus aliquot  
horas succīsius temporibus, canoniciis scripturis ac vete-  
rum patrum doctorumque lectionibus impendere soleas:  
ratus (ut catholici & prudentis est viri) infimi demis-  
sique animi esse, qua politioris lingua sunt, duntaxat cu-  
rare. Lingua quidem ornatus utilis, sed sacrarum litera-  
rum cognitio, ad Hæreses extirpandas maximè necessaria.  
Quas nostra etate, multi contra doctrinam ortodoxe fi-  
dei & Euangelium amplexati sunt Lutherani. Misericordia  
homines, qui non contenti Ecclesiam Dei scindere, &  
cordias seminarē, sibi de doctrina religionis iudicium ar-  
rogando; Ecclesiam arbitratu suo instituant, & omni  
studio, ac labore virüs suum non solum infinitis libris pre-

pagare nituntur, sed ex eo veneno alienos inficere, & catholicos a scribendo deterrere. Sed actum (ut aiunt) agent. Semper enim aderunt, qui a recto trahite non errabant, nec sequentur, (ut D. Petrus ait) viam Balaam filii Bors, qui mercedem iniquitatis dilexit: neque genua curvaverunt ante Baal. Ex horum numero fuit hic auctor noster, qui tempus a Deo sibi concessum, non alio quam ad salutem & utilitatem Ecclesie convertendum duxit. Quemadmodum videre est in his commentariis ab illo scriptis. In quibus cum se offert occasio tractandi nostri temporis Heres, ita illas conuincit ac repellit, ut nihil in illas doctius ac Christiano dignius, scribi aut dici posset. Quod cum apud me cogitarem, ut res publica Christiana, maximo suo commodo, his frugetur, curauit haec commentaria post mortem illius in lucem sub patrocinio dignitatis tuae emittere, quod tuius in publicum exeat, & maiore animo a studiis perlegantur. Quia si vultu sereno exceperis, facies quod tuam decet dignitatem: atque eiusdem auctoris non minus pia quam solida eruditio in epistolas canonicas commentaria, posthac sub tuo nomine edemus. Parisiis, Idibus Octobris. 1560.



## COMMENTARIA FRATRIS SIMONIS FONTANI, FRANCISCANI Senon Doctoris Theologi, in librum Rutb.



*N* diebus unius Iudicis, quando praeerat Iudices. Indicatur principio quo tempore haec acta sint, quæ hoc libro narrantur: nempe tempore quo praeerat populo Israëlitico Iudices illi, quos pro Mose & Iosue regendo populo Dominus substituerat. Hebræi codi-

ces non habent, In diebus vnius Iudicis, sed solum, Factum est cum iudicarent iudices. Quo amplius miror, cur se ita vexent interpretes, tum Hebrei, tum Latini, de nomine istius Iudicis, sub quo haec contigere. Nam ut diligenter ostendit Lyranus, non potuit esse Heli, qui paulo ante Dauidem iudicabat populu Israëliticum. Nec admodum clarum est fuisse Abessam, quem & Booz duplice nomine interpretes Hebrei nominant: quod, ut in libro Iudicum legimus, hic annos tantum septem Iudex fuerit, & peregrinatio Elimelech decennium saltē æquauerit, superstite adhuc Booz. Imò ducta Ruth vxore, & suscepto ex ipsa filio (ut in sequentibus videbitur) aliquanto postquam redierat Noëmi ē terra Moabitide. Adde quod licet Iudicum liber, capite 12,

afferat Abessam Beth lehem item fuisse, non continuò colligendum quod de Bethleem Iuda fuerit, cum altera Bethleem in sorte legatur Zabulonis, Iosue 19. cuius non desunt qui scribant Abessam ciuem extitisse. Si placet, ita exponatur, ut haec peregrinatio de qua mox, non cœperit quidem sub Abessam siue Booz, sed sub alio qui mox præcesserit: finem autem ac cœperit, Abessam iudicante. Nam & hic mos narrādi non est Hebreis insuetus, ut quod exitum sub uno haberit, totum illius temporis tribuitur. Id mihi necessariò cōcedent, qui Regum Iudeorum & Israëliticorum explicat historias, Ochosie & Ioram regum Iudæ imperij annos ita conciliant D. Hieronymus & Lyranus in 2. Paralipomenon cap. 22.

*Facta est famæ in terra. Non vniuer-*  
A. *iiij.*

fa, sed Iudæa: alioqui cur in Moab concessissent, vbi e qua fames afferret inediā? Refert post Hebræos diūus Hieronymus in quæstionibus Paralypomenon, cùm hæc accidere, stetisse solem, ad commonendos mortales suorum scelerum. Cæterū neglectum id portentum esse: propter quod Deus hanc necessitatem immiserit, vt resipiscerent. Eam autē opertet magnam fuisse, quæ Primores populi Bethleemiti solum vertere cōpulerit. Quod autem ad mysticam attinet intelligentiam, mirum merito videatur nonnullis, qui fiat vt iudice Booz, fames contigerit, Quippe in fortitudine (sic enim interpretatur nomen Booz) id est, cùm fortes viri principes nostri sunt, à quibus protegimur, nō facile fames siue imbecillitas locum accipit. At quando mani-

manifestius corruimus, quām cū vi-ribus nostris confidimus? Itaque vt desinamus in nobis nostrisque admiriculis ponere spē, scriptū est, quod fortitudine imperate, facta est fames in terra. Iuxta illud, Deieci eos dū <sup>psal. 72.</sup> alleuarentur. Et, Maledictus homo, <sup>Hiere. 17.</sup> qui ponit carnem brachium suum.

Tegitur aliud mysteriū in eo, quod dicitur in Iudæa fames facta esse. Cū enim Iudæa confessionem significet, quā factum est, vt in Iudæa fames acciderit? Nōnne scriptū est: dixi, Confitebor aduersum me iniustitiā meā domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, &c. Ne tradas bestiis animas confidentiū tibi. Et, Qui confesus fuerit sclera sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Et secundum Apostolū, Corde creditur <sup>psal. 73.</sup> Rom. 10.

ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem: vnde ergo, aut cur fames in confessione? Confitentibus imperabat Booz, id est, fortitudo & vis, non vltro (inquam) ac sponte confessio fiebat peccatorū, sed metu: Ideo fames erat in animis. Est enim timor patiedi, non vera animæ esca, sed palea Iumentorum aculeata, nō nutriens, nec exech.ii. famem exatians, sicut scriptū est, Gladium metuistis, & gladium inducam super vos. Contrà, confessio siue criminū, siue nominis diuini, quā prœnæ voluntati charitas suggerit, mentem satiat & impingat, iuxta illud Prophetæ delictum suum verissimè confitentis, in fame eructe de morte, & in bello, de manu gladij: à flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit. Non abiicio tamen omnino timore, etiam illum

illum pœnæ, quem seruile vocitant: quod is plerumque viam sternat ad verum filialémque timorem, quem charitas gignit. Etenim agnosco libenter quod scriptum est à septuaginta, Propter timorem tuum domine, grauidi facti sumus, & parturiimus, & peperimus spiritum salutis tuæ: et si paulò secus verterit ex Hæbræo D. Hieronymus, A facie tua domine concepimus, & quasi parturiimus, & peperimus spiritum.

*Abiitque homo de Bethleem Iuda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxore sua ac duobus liberis.*

Iuda est additum, ne de Bethleem Zabulonis intelligantur profecti. Peregrinari autem ideo dicuntur, quod statuissent redire, ubi primùm vilitas annonæ restituta esset. Sed si mores spestemus, malam quandam

C O M M E N T A R I A

significationem habet hæc ad Moabitidas gentiles peccatorésque profectio. Nulla enim necessitate ad hostes fidei diuertendum, simûlque sentiendum est, aut acquiescendum Dei  
 psal. 118. hostibus, quia scriptum est: Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Et,  
 psal. 138. Nonne qui oderunt te domine oderam? & super inimicos tuos tabescerabam? Perfecto odio aderam illos: inimici facti sunt mihi. Nulla vi (inquit) cogi debemus ut seruiamus peccato. Manendum semper in virtute, nunquam à dei populo secedendum. Vnde & apud Moabitas mortui sunt pater & liberi, ut postea dirigi sumus. Et scriptum est: Habitauerūt inter gètes, & didicerunt opera eorū, & seruierunt, siue cōmisi sunt, sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Dina quoque tantisper

I N . L I B . R V T H . 5

per peregrinata est, nec procul à domo patris sui, & à Sichem rapta ingētis cædis causa extitit. Iterum scriptum est: Domine qui recedunt à te, peribunt. Cæterū quod non solus pater peregrinatur, sed secum trahit familiam, id innuit patris scelera liberos imitari, & exemplo parentum pertrahi ad peccandum, iuxta vulgatum Diuerbium, Parentem sequitur sua proles. Et Satyricū illud, *Si dam-nuu-nosa sénem iuuat alea, ludit & hæres*<sup>Satty. 14.</sup> Bullatus. Sic natura iubet.

Quod malū literæ, non modò sacræ abominātur, in quibus hoc inter cætera legimus: Filii tibi sunt? erudi <sup>Ecclesiast. 7.</sup> illos & curua illos à pueritia, &c. Filię tibi sunt? Serua corpus illarum, & non ostendas faciem tuam hilarem ad illas: verumetiam ac maximè prophanæ, ut nullus autor pudicus mo-

C O M M E N T A R I A

ralisve non prodit. Et ut citandis aucto-  
ribus non immorer, vnicum pro-  
ferā Plutarchum de Catone censorio  
in vita ipsius scribente, Manliū virū  
clarissimum, cōsulem futurum ē se-  
natorio loco motū, ab ipso cūm cen-  
sor esset, quod interdiu p̄esente filia  
dissuauiasset vxorem. Hinc rogo  
qua putas venia cōgressus maritalis,  
alioquin licitus, permisus fuisset p̄e-  
sentibus liberis, quando puniuntur  
complexus? Qua seueritate accipien-  
da flagitia suspicaris atrocia & fœdi-  
sima, ab eo qui tam rigidè plebit o-  
scula? Satis igitur sit parētibus peccas-  
se ipsos, aut si illis placet damnari, so-  
los damnari: in sua ipsorum ruina  
non inuoluant liberos suos.

*Ipse vocabatur Elimelech, & uxoris  
eius Noemi: & duo filii alter Mahalon,  
& alter Chelion, Ephratai de Bethleem*

I N L I B. R V T H. 8

*Iuda.* Diuus Hieronimus testis est in  
quæstionibus Paralipomenon: He-  
bræos existimare hos, de quibus  
nunc agitur, nominatim esse, de  
quibus ita prioris Paralip. scribitur <sup>Paralip. 4</sup>  
filii Sela, filii Iudæ. Her, pater Lecha,  
& Laada pater Maresa ( id est domi-  
ni siue primores huiusmodi viculo-  
rum) & cognationes domus operan-  
tium byssum in domo iuramenti, id  
est foederis siue tabernaculi, quod  
Moses domini iussu ædificauerat) &  
qui stare fecit solem, virique men-  
daciī, & securus & incendens, qui  
principes fuerūt (Hebraice mariti)  
in Moab, & qui reuersi sunt in La-  
hem. Nam filios Elimeleh vxores  
in Moab duxisse ex sequentibus est  
manifestum, & Noëmi cum nuru sua  
Ruth Bethleem reuertisse. Vnde Elimeleh  
putant à domino impetrasse

C O M M E N T A R I A

ad conuertendos impios Israëlitici populi, solis statum, quem crediderat ad id maxime profuturum. Verum cum ne id quidem valuisse, opressam esse terram fame à domino, qua ille non tam vixtus quam ad terrendum populum inductus Ephrata reliquit. Solent enim populares non nihil affici, cum summates monentur. Fuisse vero Elimelech diuité, cum ex eo appareret quod ad Iudæ stirpcē refertur: tum manifeste quod in calce huius capitis Noëmi ipsius vxor ait: Egressa sum plena, & vacuā me reduxit dominus. De Noëmi verò illud simile est, quod ob insignem pulchritudinem hoc nomen initio sortita sit. Id coniicere licet ex populi vocibus occurrentis redeunti, dicentisque: Hæc est illa Noëmi: & ipsius responso: Ne vocetis me Noëmi, id

I N L I B . R V T H . 9

mi, id est pulchram, sed mara, id est amaram. Quod autem Mahalon & Chelion viri nominantur mendacii, id ideo dicitur, quod coniugati in spem progeniei, nullos ex conjugib⁹ liberos suscepere. Sed illud quodā offendit quod Mahalon & Chelion non interpretatur securus & incendens: quod tamen de ipsis in Paralipomenis dicatur. Quibus nos respondemus h̄ic nominū significationem non spectādam esse, sed mysterium. Elimelech enim, ut secum duos filios ducebat, ita duabus pollebat virtutibus: securitate diuinæ vltionis in populum ob scelera, & continua iugis que adhortatione bonorum, ut fugerent cauerentque sibi ab ira ventura: propter quam incedens appellatur. Lachrimis interim dignum est, quod ex abundantia vberatissime

## C O M M E N T A R I A

ob inopiam doctrinæ & diuini verbi, quibus populum pascere præfecti ecclesiarum debuere, loco Bethleem, id est Ecclesiæ Christianæ fœlicitate, Elimelech, id est Deus meus Rex, quo fides, charitásque & spes in Deum significantur: Noëmi, id est, rara quædam animi pulchritudo, quæ est per mundiciem: Mahalon, id est, chorus, siue spiritualis lætitia: & Chelion, id est, simplicitas perfecta (nā totus colubinus interpretatur) obque nostra scelera & abominabilia vitæ exempla coguntur exulare. O summam calamitatē! Ne autē dissimulē aliquid, non sum nescius, aliis aliam expositionē huius loci placere: tenacitatis Elimelech, sed temerè iudicio mēo, condēnantibus, sequētibūsque mordicus literam Hebraicam, & facientibus ex cōmunitibūs nominibūs pro-

## I N L I B . R V T H .

10

pria, atque ita legentibus in Paralipomenis: filij Sela filij Iuda, Her pater Lecha, & Laada pater Maresa, & cognationes operationis lini, domo Asbea. Iokin quoque, & viri Chozeba, Ioas & Seraph, qui dominati sunt in Moab, & Iasubi Lahem. Sed cùm videam in huius loci versione diuersos esse, qui se Hebræorum versores optimos iactant, censem hærendum Hieronymo.

*Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi. Et mortuus est Elimelech maritus Noëmi, remansitq; ipsa cum duabus filiis. Oblitus instituti Elimelech meritò periit. Egressus fuerat è terra nativa, vt peregrinaretur tātūm, dum dominus populum iusta plesteret vltione, non vt domum ibi ædificaret, prædia compararet, aut incola fieret, sed hospes nihil cōmercij habiturus*

C O M M E N T A R I A

cum extraneis: At ubi venit in idololatrarum regionem, morabatur ibi. Sic solemus, mortales, viribus nostris plus æquo fidentes, polliceri nobis transitū per tentationes: in quas cùm inciderimus, vincimur illico, moramur & morimur. Beatus homo (ait ille) qui semper est pauidus. Qui enim amat periculum, peribit in illo.

*Prou. 28.*

Sic, inquam, solemus in hoc mundo nos gerere. Cùm enim vita nostra peregrinatio sit, & teste Apostolo, Dum sumus in hoc corpore, peregrinemur à domino, non habentes h̄ic permanentem ciuitatem, h̄ic tamen domos ædificamus, possessiones coëmimus, amplificamus facultates, quasi nunquā egressuri. Nec id repetimus memoria, quòd simili cuidam nostri à domino in euāgelio dictū est, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te:

*Ecclesi. 3.*

*2. Corin. 5.*

*Heb. 13.*

*Lm. 12.*

I N LIB. R V T H.

te: quæ autem parasti cuius erunt? Sic est (adiicit Christus) qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Suspiciamus, fratres, in terram viuentium, ubi reposita est nobis nostra portio, quæ nunquam deperit, sed augebitur. Hic nō immoremur, ne bis moriamur. Corpore haud dubie moriemur omnes qui peregrinamur: sed si immoremur, animis (quod est multo pessimū) moriemur: velut Ephraïtorum istorum mysticè nos docet historia. In terra autem peccati primò perit vir, id est animi constantia: deinde mollis fœmina filiis onerata quid factura sit? Vbi rationis (quæ vir est animæ) perrupta est firmitudo, quid de reliquo animæ famulitio speret?

*Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera*

*Ruth.* Hoc ad morā in idololatrarū terra, & Elimelech, id est, Dei mei, regis obitum, corruptionis quadā necessitate sequuturum erat. Quomodo enim cantabunt filij canticū domini in terra aliena? in qua cernunt patrem sumpta cithara dēmoniis canere? Quomodo, inquā, mortuo iam patre in peccatis suis, filij meliores patre sicut? Id valde est difficile. Patre inter Moabitidas commorante, facile liberi vicinorum coniugio copulantur, vt ex matrimonio discant plus peccare quām parētes. O infelicitatem peregrinationis successum! Post patris interitum filij nepharias nuptias ineunt, paulo post acerbius morituri. Quām consulte iubet Apo-

*2.corin.6.* stolus: Nolite iugum ducere cum infidelibus, &c. Congruunt autem yxorū nomina cum nominibus maritorum.

maritorum. Orpham, id est, ceruicofam, vel oris denudationem, id est procacem & superbam duxit Chelion, antea secundum nomen suum totus columbinus, vt inito cum superbia fœdere, non diu superstes esset. Ruth verò, id est, saturatam vel ebriam, Mahalon, id est, chorus siue immoderata lætitia duxit. Ut de his verum esset quod Ezechiel dicturus erat de Hierusalē, Ecce hæc fuit ini-

*Ezech.6.*

quitas Sodomę fororis tuę superbia, & saturitas panis & abundantia & otium. Fingunt Hebræi hanc Ruth filiam Regis Eglon fuisse: quod tam apertum est mendaciū, vt superfluum sit refellere. Quomodo enim peregrino, ne admodum diuiti, Rex Moab filiam locasset? vt non dicam, quod (velut in Iudicum libro visitur) ab Aioth interfactus est Eglon, qui an-

C O M M E N T A R I A

nis ducentis triginta duo populum iudicauit ante Abessam, qui iudex, Ruth tempore, fuisse pluribus est persuasum.

*Manseruntque ibi decem annis (vel vt est in Hebræo quasi decem annis.) Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet & Chelion: remansitq; mulier orbata duobus liberis & marito. Recte (vt ex his apparet) dixit Apostolus Paulus: Stipendia peccati, mors. Discensum est à terra sancta, & relictus Dei populus, vt habitaretur Regio infideliū, & sanctorum cum prophanis cōnubia iungerentur. vnde suscepit paulatim sunt nefandi ritus, desita veri Dei cultura est: quid inde quām breuis vita, & absque successura prole prēpropera mors euenire iusto Dei iudicio débuit? Aptè autem dictum, Manserunt ibi quasi decē annis. Norūt omnes*

I N L I B . R V T H .

13

omnes hōcce numero comprehendendi diuinę legis prēcepta. hinc docemur consuetudine & familiari conuictu malorum, corrumpi tādem disciplinam siue legem naturæ in nobis, quę decalogus est: vnde quid aliud quām animæ mors miserabilis sequitur?

Proinde, fratres mei, si fortè digressus est nostrum quisquam, & peregrinatus in Moab, iuncta cum flagitiosis societate, audiat iam dominum vociferantē in propheta, Reuertere a uersatrix Israël, & non auertā faciem meam à vobis, quia ego sanctus sum, & non irascar in perpetuū. Conuertimini filii reuertentes, quia ego virvester, & assumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, id est, ex multis paucos ad vnitatem fidei, & duplex charitatis præceptum: & introducam vos in Sion. Rursusque,

Rom.6.

Hiere.3.

C O M M E N T A R I A

*Esa. 30.* Reuertere virgo Israel, reuertere ad ciuitates tuas. Usquequo deliciis dis- solueris filia vaga? Et in Esaia, haec di- cit dominus Deus sanctus Israel. Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. Solent physici diutius ægrotantibus id consilium dare, ut natuū locum repetant, melius cōualituri, si aërem, in quo educati sunt, hauserint tan- tisper. In Moab, id est, in peccato æ- gritudo animi & mors stabulat, ho- spitibus insidiantes: saltem priusquā ægritudo sit deplorata, aut mors diu- turnitate confirmata, reuertamur in Iudeam, id est, Ecclesiæ matris nostræ domum, ubi saluberrimè viuitur & tutissimè. Sed nunquid arcani con- tinet mors trium virorū in Moabitide regione, patris inquā & duorum liberorum, & vnicæ mulierculæ, vxo- ris vnius, & matris duorum vita su-

per-

I N L I B . R V T H .

14

perstes? Plurimum nisi fallor. In uno quoque nostrum ea animi pars, quæ iubedi atque vetadi autoritate præ- dita est, nimirum voluntas, viri reci- pit analogiā, altera quæ monet tan- tūm aut consilium dat, nempe ratio, velut coniux est, voluntatisque ma- rita: Ex quibus velut legitimo con- nubio, nascuntur voluntariæ atque liberæ agendi patiendique electio- nes. Hæc si non Dei virtutis que, sed vitij causa fiat, ut pater, ita & liberi in Moab moriuntur, superstite matre, sed misera. Nam nō continuò post- quam peccauimus, extinguitur in no- bis rectum rationis arbitriū: sed ali- quandiu manet, ut ipsa hortatrice in patriam possimus remeare. Manet, dixi, sed infelix, ut quæ ob viri mor- tem orbata sit familiari illo Dei fa- uore, quo ante vtebatur.

Luc. 5.

*Et surrexit ut in patriam pergeret cum  
vtraque nuru sua, de regione Moabitide:  
audierat enim quod respexisset dominus  
populum suum, & dedisset eis escas. Hoc  
congruit cum Euāgelio, vbi de Aso-  
to filio scribitur, quod cum procul  
à patre semotus, facultates omnes  
abliguriuisset, venissetq; eo inopiæ,  
ut posceret farcire ventrē cibis por-  
corum, quorum è filio regis pastor  
euaserat, nec existeret quispiam tam  
viliis beneficij autor, miserabili necef-  
sitate animotenus percussus, ad seip-  
sum versus est, vtque statuerat ad cle-  
mentissimum patré, apud quem ser-  
ui mercenarij panibus abundabant,  
est reuersus. Sic enim & hæc mulier  
paupertate pressa, & altoribus viro  
liberisque destituta, vt audiit popu-  
lum Dei abundare, redire instituit:  
vtque, Asotus, inquam, & Noemi  
domo*

domo patris decesserant, vtrumque  
vexauit calamitas, ambobus vexatio  
dedit intellectum: vterque vbi rediit,  
benignè est acceptus. Vno distingui  
videntur. Mulierem hanc exegerat  
fames ad extraneos: illum libido lu-  
xuriandi, quod illi sic facere apud pa-  
trem nō licceret. Sed inde percipimus  
non vno tantū modo peccandi. Deū  
ab homine deserit. Quippe sunt quos  
perdit abundantia: alios egertas pro-  
pellit in vitium. Magnificanda inte-  
rim misericordia domini, quæ me-  
minit dispersorum, & ipsos congre-  
gat: quæ oues errantes ad ouile redu-  
cit, ne pereat. Sed hīc aliquis quærat,  
cur nō hēc quoque fœmina in Moa-  
bitide terra periit, vt suus vir & libe-  
ri: quæ vnā cum illis populū Dei reli-  
querat: & vt non adeò improbabile  
est, scelera cum ipsis cōmunicauerat?

## C O M M E N T A R I A

I N L I B . R V T H .

16

Cui nos illud primū respōdemus.  
*Rom.9.* O homo, quis es qui respōdeas Deo.  
 Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic! Et iterū  
*Rom.11.* Quis cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? Quanquā  
 inde confirmamur, quod etsi cæterorum more, aut etiam grauius pec-  
 cauerimus, spes est adhuc vt salue-  
 mur. Non enim pereunt omnes, qui vel grauiissimè prolapsi sunt: sed eli-  
 git Deus quos seruet, vt ne despere-  
 mus. Cæterū appositē dictum est,  
 quod respexerit dominus populum suum, & dederit illis escas. Nisi enim  
 nos respexerit dominus, actum est,  
*psal.103.* sicut scriptū est: Auertente te faciem turbabūtur: auferes sp̄iritum eorum  
 & deficient, & in puluerem suum re-  
 uertentur. Vbi aspexerit, valent om-  
 nia. iuxta illud, Respexit dominus ad

Abel, & ad munera eius. Et iterū : Re-  
*Lxx.1.* spexit dominus humilitatem ancille  
 suę; ecce ex hoc beatā me dicent om-  
 nes generationes. Et alibi, Respexit in  
*psal.101.* orationem humilium, & nō spreuit  
 precem eorum. Prospexit de excelso  
 sancto suo, dominus de cœlo in ter-  
 ram aspexit: vt audiret gemitus com-  
 peditorum, vt solueret filios interem  
 ptorum. Proinde quid mirum, quod  
 idem propheta alibi vociferatur? Af-  
*psal.24.* pice in me & miserere mei, quia vni-  
 cus & pauper sum ego. Tribulatio-  
 nes cordis mei multiplicatæ sunt, de  
 necessitatibus meis erue me. Tātū  
 oremus exemplo Dauidis, vt auertat  
*psal.50.* faciem suam à peccatis nostris: quia  
 Vultus domini super facientes mala,  
*psal.33.* vt perdat de terra memoriā eorum.  
 Totum bonum nostrum in domini  
 aspectu sitū est, ex illo omnis prospe-

*Gen.4.*

ritas nostra pendet. Vultus enim domini voluntas ipsius est, & cognosci ab ipso est approbari: velut econtra-  
rio ignorari reprobari est, iuxta illud  
*Matth.7.* Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē, quia nunquā noui vos.

*Egressa est itaq; de loco peregrinationis suæ cum vtraque nuru: & iā in via reuer- tendi posita in terram Iuda, dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ. Faciat vobis cum dominus misericordiam, sicut fecisti cum mortuis & mecum. Det vobis inuenire requiem in domibus virorū quos sortitur & estis. Et osculata est eas. Appa- ret ex eo quod socrin sequebantur, & humanæ fuerant viris suis ac ipsi socrui, vt corā ipsa testatur pias fuisse & probas nurus. Sed quid sibivult, quod reditas ipsas viæ accinctas admonet, & non prius id fecit cùm adhuc domi essent? Aut cur non sinit*

ad

ad populum Dei venire gentiles, fœ- minas, quæ poterant idolis abiectis, verum Deum amplecti? Nūquid ar- cendi sunt mali ab eo, quo si fiat, spes est vt boni euadat? fortassis propter ea dixit dominus: Nolite sanctū dare canibus. Nō enim passim omnes ad- mittendi ad Euangeliū gratiam, sed probandi qui requirūt, ne forte sint libertatis nostræ exploratores, potiusquam futuri fratres. Olim à tali- bus passa est multū Ecclesia piorum: quando quorundā torquatorum do- lis raptabantur Christiani ad mortē. Saltem id indicat non exuere nos re- pente contractam malitiam, vt pri- mū ad dominū referimus gradum. Sequuntur nos proclivitates ad ma- lum, quas nobis cōsuetudine ipsa pec- candi comparauiimus, quibus nos so- ciis progredimur lentius molestiūs-

C

que. Superbia enim & arrogātia (que Orphæ nomine significantur) nō facile cedunt nido, quem in animo per se sublimi extruxere, & abundandi luxuriādique consuetudo, quā Ruth suo nomine indicat, non euanscīt primo die quo cœperimus ad virtutē flecti: sed egredimur ē terra Moab in Ephratem, aliquandiu Orpham Ruthque nobiscum trahentes. Id figurabatur in iuniore Tōbia, qui peregre missus à patre, voto matris tardius rediit: Et in vaccis fœtis Philistinorum, quæ plaustrū in quo erat arca domini ferentes, etsi non declinabant, neque ad dextram, neque ad sinistram, mugiebant tamen ob relictos domi fœtus. Hanc relinquendæ consuetudinis difficultatem, indicat & quod sequitur. Et osculata est eas. Quantūcunque enim decreuerimus

vitam

rob. 10.

l. Reg. 6.

vitam anteactam mutare, placet tamen adhuc illa nescio quomodo, vt nisi maximē inuiti non reiiciamus. Veruntamen sensim dimittēdæ sunt nurus, pedetentim relinquendæ consuetudines prauæ, dum sumus in via: ne dum differemus obtentu rei cuiusque piæ, ipsi tandem cuertamur. Dubitauit autem Noëmi vtrum tam constanter quām promptè nurus secum pergerent: & verita est, vt cum venissent in terrā Iudæorum, nolent Iudaico ritu viuere, itaq; pœniteret profectionis. Ergo ne ipsa imprudenter vsa videretur nuruū lenitate, æquum duxit saltē in ipsa itineris molestia, quam experiebantur, ipsarum animos pertētare. Igitur quod ad illas dixit, Ite in domum matris vestræ &c. Nec consilium, nec adhortatio est, ne quis hinc sibi licere putet, vel

C ii

C O M M E N T A R I A

consilio vel exemplo inducere cæteros in peccatū. Nemini enim cōsiliū aut exemplū dādū, vt idola colat, vel male agēdi periculū ineat, sed potius pro vniuscuiusque virili ab iis auocandi mortales: tentatio potius est qua de animorum ipsarum constan-  
tia ac fide fiebat periculū. Id verum deprehendetur, si sermonis expéda-  
tur conditio. Nam non simpliciter dixit: Abite ad populum vestrum, & ad colendos vestros Deos. Hæc, in-  
quam, non dixit, Orpha saltem præ-  
sente, sed tantum, Ite in domum ma-  
tris vestræ. Tanquam si dixisset: So-  
crus vestra sum modo, cuius erga nu-  
rus non est naturalis ille affectus, qui  
matris esse consuevit, et si magnus ho-  
die sit erga vos. At quia naturalis nō  
est, sed aduēticius, fortè imminuetur  
aut a bolebitur. Vos proinde recurri-  
te

I N L I B . R V T H .

19

tead matres, quæ vos naturaliter a-  
mant, & de quarum affectibus non  
est quod vt labente tempore fugere  
vereamini.

*Quæ elenata ī voce flere cæperunt, &*  
dicere: *Tecum pergemus ad populu tuum.*  
Hæc ciulatio, hic fletus, & ad comi-  
tandum nuruū alacritas mutuæ con-  
uersationis ipsarum cum socrū mo-  
derationem testatur. Nisi enim ama-  
uissent socrum, non adē prosegue-  
rentur. Amare autem non poterant  
tam vehementer, si illa morosior æ-  
quo fuisset: sed et si non amari ab illa  
fensiſſent, non se ita officiosas præ-  
berent: cum soleant nurus de socrus  
moribus quæri. Vtinam apud Chri-  
ſtianos hoc tempore (nam illæ insi-  
deles dum erant quæ tam amicè affi-  
ciebantur socrui) tanta esset filiorum  
saltem in parentes pietas & obſerua-

C iii

tio. Vtinam, aio, paréibus in terram sanctam, id est, cœlum, pia conuersatione contendéibus, liberi animosí dicát, vobiscum pergemus ad populum vestrum: non vestrum solorum cœli futura est gloria, nostra quoque erit.

*Quibus illa respondit, reuertimini filiae meæ. Cur venitis mecum? Num ultra habebô filios in utero meo, vt viros ex me sperare positis? Reuertimini filiae meæ, et abite: iam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo coniugali. Etiam si possem hac nocte concipere et parere filios, si eos expectare velitis donec crescât et annos pubertatis impleant, antè eritis vetula quam nubatis. Nolite filiae meæ facere hoc: quia vestra angustia me magis præmit: et egressa est manus domini contra me. Coniectabat (vt videtur) Noëmi quod erat, præsertim in Orpha, sperare*

rare se nurus alteros ex ipsa sponsos habituras, ac propterea ipsam sequi. Audierant quippe referentes ipsam maritosque suos id Iudæorum lege caueri, vt mulieris, cuius prior vir absque liberis mortuus esset, frater mortui coniux fieret ad suscitâdam problem, quæ fratri defuncto nuncuparetur, ne ille omnino sine prole (quod probrosum quodammodo coniugatis putabatur) fuisse diceretur. Proinde ne ea spe se comitetur, qua essent deludendæ, iterum ad abitionem hortatur: non omnino ita, vt nolit proselytas fieri: sed vt ne hac incitata expectatione, Iudæis se coniungant. Si cui enim placet più aliquod religiosumque viuedi genus, ob pie-tatem modò obire debet, non etiâ ob temporarias commoditates, diuitias inquam vel honores, quos solet illa

commites habere. Alioquin non sit futurus Simoni illi Samaritato dissimilis, qui cum cerneret Christianos omnigena miracula edere, baptismū accepit, pecuniam obtulit, videlicet <sup>vt</sup> edendorum signorum facultatem acciperet, qua magis magisque honoraretur à plebe, & opibus abundaret. Sed quid ab Apostolis audiit? Pecunia tua tecum sit in perditionem. Sic Apostolus Paulus quosdam pseudo-christianos insectatur epistola ad Galatas, qui volentes placere in carne, cogebant legem seruare, quam ipsi custodiebāt, qui id tantū facerent, <sup>vt</sup> in Galatarum carne, id est, carnali discipulatu gloriaretur, non ob hæc Euangeliū subeundum. Tantū pietatis causa sacri piisque Christianismi ritus suscipiédi sunt. Nō quærendus episcopatus <sup>vt</sup> domineris in clericis,

Gal.6.

Col.8.

cleris, sed <sup>vt</sup> forma gregis fias ex animo. Non petendæ monasteriorum præfecturæ, <sup>1. Pet. 5.</sup> vt diteris: sed <sup>vt</sup> bene viuas ipse, siisque monachis doctrina & exemplo autor bene viuendi. Cæterum quod addidit, vestra angustia memagis premit: vel ad incontinentiæ prurientis molestias, quas illæ adhuc iuuenes passuræ essent expectando: vel ad inopiam quam secum essent toleraturæ, referendum. Si sequamur allegoricū sensum: Noëmi Synagogam significabit, quæ cū Orphæ & Ruth, id est, Ecclesia Christiana, venit ex gétibus. Meritò autem se fene&tute confectam dixit, ineptamque vinculo coniugali, nec vltra habitaram in vtero filios. Quippe scriptum est: Lætare sterilis quæ non paris, erūpe & clama quæ nō parturis: quia multi filii desertæ, magis quam

x/a.54.

eius quæ habet virum: Que verba de Ecclesia Christiana Apostolus Paulus Galat. 4. lus interpretatur in ea quæ ad Galatas est epistola, indicans fœcunditatem matris Iudaicæ Gentilitatis sterilitati tribuendam. Id hodie visitur. Synagoga Iudæorum nulos Christo parturit, Gentium Ecclesia adhuc, sed non quantum olim, sponso suo Christo fœcunda est. Quod adiecit. Si possem hac nocte concipere & parere filios, si eos expectare velitis, donec crescât & annos pubertatis impleât, antè eritis vetulæ quam nubatis. Innuit non sperandum ex gente Iudæorum alium, qui Ecclesiæ sponsus futurus sit: quippe habet immortalem & æternum. Quo arguitur Iudæorum error, qui adhuc expectat suum ~~messianum~~ id est, Christum. Deinde cum dicit, antè eritis vetulæ, quam nubatis,

tis, indicat salte in ætate iam defecta, id est, in seculi fine fieri posse, vt Synagoga Christo nubat: quod futurū pollicetur Apostolus in epistola ad Romanos: Nolo vos, inquiens, ignorare <sup>Rom. ii.</sup> mysterium hoc, vt non sitis vobisipsis sapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret, sicut scriptū est: Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob.

*Elevata igitur voce, rursum flere coepunt. Orpha osculata est socrum ac reuersa est. Ruth adhæsit socrui suæ. Aegrè nos praui deserunt habitus, cum instituerimus recte viuere. Eleuat sensualitas vocem, reclamat & aperte reluctatur, flet: denique nullo signo nō indicat se abire. Quam dissensionem quis melius explicuit, quam ipse Apo-*

C O M M E N T A R I A

stolus Paulus in ea epistola quā scri-  
 Rem.7. psit ad Romanos: Scio, inquit ille,  
 quod non habitat in me, hoc est in  
 carne mea (corrupta) bonum. Nam  
 velle adiacet mihi, perficere autē (in  
 ea) non inuenio. Cōdelector legi Dei  
 secundum interiorem hominem. vi-  
 deo autem aliam legem in membris  
 meis repugnantem legi mentis meæ:  
 & captiuantem me in legem peccati,  
 quæ est in membris meis. Ita vt exclamet: Infelix ego homo, quis me libe-  
 rabit de corpore noctis huius? Quasi  
 dicat: Eiulant nurus Orpha & Ruth,  
 flent, & lachrymis suis velut impia  
 quadam pietate me detinent: quid a-  
 Eturus sum? Sed constantia opus est.  
 Semper dicendum: Reruertimini fi-  
 liæ meæ: nolite facere hoc. Aliquid  
 promouenti, aut abibunt, aut demu-  
 tabūtur. Orpha enim osculata est so-  
 crum

I N L I B . R V T H.

23

crum, & reuersa est. Ruth adhæsit so-  
 crui suæ. Bene autem Orpha, quæ  
 ceruicosa, id est superba, interpreta-  
 tur reuersa est, socrum dimissa: quia  
 vix de superbo videoas humilē fieri.  
 Cætera enim vitia domari possunt,  
 superbia disciplinam non admittit:  
 In superbia, qua lapsus est caco-  
 demon permanet: & Adam iustitia suo Gen.3  
 vitio spoliatus, percontâte domino,  
 culpam transfert in vxorem. Ruth id  
 est satiata, adhæsit socrui, videlicet  
 temperantiae lege regenda.

Cui dixit Noëmi: En reuersa est co-  
 gnata tua ad populum suum & ad deos  
 suos, vade cum ea. Constâtentatio est  
 periculum de more facientis: nūi  
 ex animo socrū sequeretur ad Iudeos  
 discedentē, nō abiectio prosequētis.  
 Id quod vel ex sermonis, quo Noëmi  
 ad Ruth vsa est, tropo coniicere licet.

En inquit, cognata tua reuersa est ad populum suum, & deos suos. Si indignam Ruth iudicasset quæ socrum sequeretur, aut Iudæa fieret è gentili, dixisset: Cognata tua abiit ad populū tuum & ad deos tuos: vtraque enim Moabitis erat genere, & eandem idolorum superstitionem didicerat. At velut iam illam eximens moabitico genere & deorum cultu, suum, suosque dixit, de Orpha loquēs: vt innueret ad huiuscmodi Ruth in posterū non attinere. Aptè autem Orpha Ruth cognata fuisse dicitur, id est, superbia satietati & ebrietati. Solet enim vinum vel pauperrimis fiduciā sui addere, & aliorum contemptum: ita vt quibus vix est quo dimensum soluant, mera talenta loquantur, &c.

*Quæ respondit: ne aduerseris mihi, vt relinquam te & abeam. Quocumque enim*

perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus tuus, populus meus: & deus tuus, deus meus. Quæ te terra moriētem suscepit, in ea moriar, ibi quod accipiam locum sepulturæ. Hac mihi faciat deus, & hec addat, si non sola mors me & te separauerit. Ruth iam non vt ebria, sed sobria loquitur. Ne aduerseris mihi (inquit) vt reliquam te & abeam. Quasi dicat: Non locata sum olim filio tuo, vt aliquando mihi hostis fieres, aut ego tibi: cur ipsa vis es? Eris autem si me cegas te relinquare, vt ad meos abeam, apud quos deserto vero deo, idola cultura sum. Ne igitur mihi aduerseris, né ve obstes votis meis: quæ destinatò sequitur ipsam institui. Ne dixeris mihi procul tibi esse migrandum, quocunque perrexeris, pergam. Nec mihi nuptias obiice, quæ me à te diuelle-rent.

## C O M M E N T A R I A

rent. Si nubam, id ita fiet, vt vbi morata fueris, & ego pariter moratura sim. Vir, inquam meus erit, qui te velit præsentē. Populus meus, apud quem educata sum, fateor, diuersos ritus habet ab iis quos tuus seruat populus: At efficiā vt paulatim dediscam patrios mores, vestrosque imbibam, vt populus tuus sit populus meus. Quin & respuo, abiicio, abominor deos meos, vt deus tu⁹ sit deus meus. Quænam maiora fidéque digniora cupias charitatis argumēta? Extrema ni fallor, amicitiæ humanæ linea est, cùm ne violetur necessitudo, Deus pro deo mutatur, religio religione, id ego factura sum. Denique si iure-iurando opus est, hæc mihi faciat do minus, & hæc addat, si non sola mors me à te separauerit. More antiquorū iurat, qui verbis conceptis iurare cō-

sue-

## I N L I B. R V T H.

25

sueuerant. Cæterū quod ad tropologicum sensum attinet, exemplo Ruth docetur iuuentus constanter adhærere senibus prudentia prædictis, nullaque occasione senectutem procul relinquere, ex qua prudentia discitur. Quippe ita scriptum est: In Eccle. 6. multitudine presbyterorum prudenter sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis nō effugiant à te. Simul & ob-sistendum fortiter malesuadis suggestionibus, ac malorum incertoribus, vt Deum nō offendamus. Secundum allegoriam indicatur, quòd Ecclesia quæ Euangilio fruitur, legem nihilo minus sequitur quocunque perrexerit: quia non venit Christus dominus legē soluere, sed adimplere. Est enim Euangelium rota in medio rotę Mo-

D

saicæ legis, id est, breue compendiu  
corum, quæ varie tum sacrificiis, tum  
figuris aliis significabantur in lege.  
Nec dissonat Euágeliū & lex Moseos  
aliter, quam quomodo figura & ve  
ritas, prædictio future, & res præsens.  
Aliter ita accipi hæc verba possunt.  
Ne aduerseris mihi vt relinquam te,  
& abeam: vt verba sint subditorum  
obtestantium Ecclesiæ præpositos, vt  
ne ipsis seueriore autoritate sua ad  
uersentur, cogentes ~~hæc~~<sup>suis</sup> fulmini  
bus, siue (quas vocant) excommuni  
cationibus & anathematis, alioqui  
(si quis bene & legitimè vtatur) iustis  
& verendis, à Deo & Ecclesia secede  
re, & Diabolo coniungi.

Videns ergo Noëmi quod obstinato  
animo Ruth decretisset secum pergere, ad  
uersari noluit, nec ad suos ultra redditum  
persuadere. Vnde appetet tentatione  
fuisse

fuisse quæ egit hactenus Noëmi cum  
nuribus suis, non consilium aut ex  
hortationē. Dubitabat enim illa, vtrū  
animo bono firmoque se sequeren  
tur, an naturali tantum pietate qua  
dam erga socrum, & reuerentia, quæ  
apud mortales non sine plurima est  
laude. Cæterū vt fixam Ruth sensit  
in fentētia, tum desiit experiri, insti  
gando vt suos repeteret.

Profectaq; sunt simul, & venerunt in  
Bethleem. Quibus urbem ingressis, velox  
apud cunctos fama percrebruit. Dicebant  
que mulieres: hæc est illa Noëmi? In He  
bræo non est mulieres, sed tantum di  
cebant: Num hæc est Noëmi? Quid  
ad mysteriū aptius est, Noëmi Rúth  
que vix-dum urbem ingressis, rumo  
re aspersa est tota ciuitas, quo indi  
catur nomine olim honesto ac bono  
fuisse Noëmi apud suos. Non enim

ita solliciti sumus de reditu perditorum & malorum, sitque probabile quod Eliamelech (vt initio ex Hieronymo diximus) virum iustum legisq; diuinæ zeloten fuisse. Eapropter meores Bethlemitæ virtutum ac probitatis illius, totiusque familiæ suæ, cum rediisset Noëmi ipsius vxor, repente cognitum est passim ab omnibus rediisse illam cupietibus. Quod ergo dicunt: Num est illa Noëmi? non ita accipiendum quasi per ludibrium dictum sit, vt Hebraeorum quidam interprætantur: sed vt gratulatio sit congruens ei quod in Euangeliō legim⁹: videlicet regresso Asoto patris familiâs filio adolescenti, conuenisse familiam, epulum celebrasse, adhibitiique symphonia, choros egisse: ad innuendum quantum gaudium sit angelis in coelo super uno peccatore

pœnitentiam agete. Ex hoc loco videntur prouentū pietatis: honestum nomen cōciliat, amicos facit, seruatque vtendos bene tēpori: cum ē contrario vitia famam nostram inquinare soleat (vt Magdalena quando luxui seruit) & hostes parare, suorumque tandem desertionem.

*Quibus ait: Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram: quia amaritudine repleuit me dominus.* Interpres adiecit nominum Noëmi & Mara interpretationes, cū non sint in Hebraica litera: ~~vel~~ ~~in margine postea effecit liberarius interseruit litteras.~~ Vt cumque sit, nihil officit. Vetat Noëmi se hoc nomine vocari, sed magis conueniente: idque mysterio. Iam enim ad Christum conuersis non sedet corporeis secularibusque titulis commendari, sed ser-

uitutis vocabulo. Ita se Apostolus  
*Rom. i.* Paulus commendat quibus scribit: hoc modo reliqui domini Apostoli. Nemo ergo iam optet se vocari Noemi, id est pulchram, forma inquam corporis, seculari vi aliqua facultate valentem: sed optet re vera nuncupari se amaram, id est, pœnitentem: quia suos amaritudine repleuit dominus, cum initio prædicationis dixit: Pœnitentiā agite, appropinquat enim in vos regnum Dei. Scilicet verò decet eum qui è furca beneficio ereptus est, repete nobilitatem suam iactare, qua suo scelere fuerat iure spoliatus, & glriosos iam captare titulos, qui paulo ante furcifer dicebatur? Quippe quidē aliud ad Christum ceteram ve pietatem conuerti, quam à diaboli furcis eripi. cur proinde furciferi nomen iterum quæritur

ritur? Dicā quod sentio. Tribus verbis explicuit Noemi quid de seipsis Christianis sentiendum sit, nimirūm quod etsi quod debuere facere, fecerint, dicant: Serui inutiles sumus. Interim mirè congruunt hæc assumptione de Aso parabolæ. Is enim cum esset in filium à patre piissimo recipiens, humiliter de se sentiens, decreuerat hoc ad patrem dicere: fac me sicut vnum ex mercenariis: ideo ne me das filium, iam enim non sum dignus qui sic vocer.

*Egressa sum plena, & vacuā reduxit me dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam dominus humiliavit & afflixit omnipotens?* Hæc tam sunt apta Euangelio, ut penè videar legere Euangeliū ipsum. Quid enim aliud est: Egressa sum plena, ab eo quod de Aso scriptum est: dixit adolescentior

zue.5.

filius patri: Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit . Et diuisit illis substantiam . Patrem ne putas adeo inopem, vt multa petenti filio partiri nequuerit? Gloria & diuitiæ in domo eius, ita vt mercenarij abundant panibus: quâto magis est quod filiis diuidatur? Quod auté ait: Vacuá reduxit me dominus: An non congruit cū illo quod de Asoto subiicitur? Et postquam omnia consummasset, facta est fames in regione illa, & ipse coepit egere. Et abiit: & adhæsit vni ciuium regionis illius . Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos , & cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant. Et nemo illi dabat. Reuera abeuntes patres nostri ad culturam deorū falsorum, deo vero relicto, egressi sunt pleni, hactenus diuino fa-

uore

uore & gratia. Sed mox facti inopes, vtpote quibus dij pauperissimi, quos colebant, nihil veri boni conferebât, tandem vocante Deo , redire vacui tunc quidem, mox ditandi . Porro fatens Noemi vitium suum, prudenter dixit: Egressa sum plena, id est quandiu in Bethleē cū domino fui, abundauit: non enim ille finit suos egere. Indicans auté redditus sui Decum autorem esse, addidit: Vacuam reduxit me dominus. Quasi dicat. Cum iā non mihi esset, quo me alerem, cùm nō essent alii qui suppeditarēt, cùm reliqui amicorum me desererent, à quibus ali me speraueram . Denique cùm decessent qui abire consulerent, aut profectionis sumptū suggererēt, reduxit me dominus. Non cogitabā, inquam, de reditu: Nemo aliorū hominum de me erat sollicitus, cùm do

## C O M M E N T A R I A

*Rom.5.* minus mei curā suscepit & reduxit.  
*Consonant hæc Apostolo Paulo in epistola ad Romanos.* Cōmēdat deus charitatē suā in nobis, quoniā cū ad-huc peccatores essem⁹ secūdū tēpus, Christus pro nobis mortuus est. Pro-indē meritō addidit: Cur ergo vocatis me Noemi, id est pulchram, quam dominus humiliauit, & afflxit omni potēs? Id est cur volūt Christianivo-  
*Marth.23.* cari Rabbi, magistri, & domini, cūm illis vñus sit magister Christus in cœlo: & etiam vnc̄ti sint baptismate ad pœnitentiam? Non est nostrum vocari Noëmi, gloriari in diuitiis & honoribus huius seculi. Quid enim habemus, quod non accepimus à Deo? Christiani initio colentes, teste Philone, nuncupabantur. Interim non vetantur vocari his nominibus, qui digni sunt, vetantur illa ambire.

*Venit*

## I N L I B . R V T H .

30

*Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ, ac reuersa est in Bethleem, quando primū hordea metebantur. Docet nos hic reditus, vt si nō possumus omnino reparare per pœnitentiam quæ collapsa sunt (difficilè id est plusculis prorsus iustitiæ gradui restitui à quo sunt prolapsi) saltem aliunde repēdamus. Amiserat virum & filios Noëmi: quos cū nequiret reducere, & populo suo restituere, saltem pro tribus domini filiis vnam peregrinā aliorūmque deorum alumnam, Deo conquisiuit. Adduxit è terra Moab vnam ex Christi matribus. Quo modo nos quoque ita resipiscere conuenit, vt in fidem mutatæ vitæ non solum instituamus rectè agere, verum etiā aliquid, quo nos ipsi plectamus ac castigemus, est à nobis ipsis adden-*

*Gem. 20.*

dum. Trahenda Ruth in Bethleem,  
id est caro ad spiritum. Posthac co-  
nandum, vt si verè nos anteactæ vitæ  
pœnituit, caro ad subiectionem spi-  
ritus redigatur. Quin si fieri potest,  
agendum docendo, viuendo, vt Bar-  
bari, Turcæ(aio) & Iudei, Christi Euā  
geliū amplectantur. Sic est Sara Abra-  
hæ ab Abimelech restituta cū fœno-  
re, ouibus, bobus, seruísque, & ancil-  
lis & pecunia. Sic voluit Deus liber-  
tati restitui, & in Palestinam redire  
filios Israel, acceptis vestibus, vasisq;  
argenteis & aurcis Aegyptiorum. Sic  
Philistini arcam domini raptam in  
bello, id est conscientiam violatam,  
remisere in plaustro nouo, quod vac-  
cis fœtis trahebatur cum anis aureis  
quinque. Ani autem (qui fœdiſſimæ  
ſunt animalium partes) auræi ſiunt,  
cùm quod indecorum erat, in vitæ  
noſtræ

*Exod. 12.*

*I. Reg. 6.*

noſtræ ratione, refipiscendo ita casti-  
gatur, vt Deo probetur, & placeat  
proximo. Sic pœnitens Dauid, prote  
ſtatus eſt: Redde mihi lætitiam ſalu- *Pſal. 50.*  
taris tui, & ſpiritu principali confir-  
ma me. Docebo iniquos vias tuas, &  
impij ad te conuertentur. Sic deni-  
que Zachæus ad Christum conuer-  
ſus: Ecce, inquit, dimidiū bonorum *Luc. 19.*  
meorum domine, do pauperibus. Et  
ſi quid aliquem defraudaui, reddo  
quadruplū. Id agere, eſt secum Ruth  
in Bethleem ducere. At id aduerten-  
dum obiter eſt, quòd rediit Noemi  
cùm hordea meterentur. Et ſi illud  
videatur dictum ob consequentiam  
eorū quæ pōst ſubiiciuntur, ſatiſque  
intelligā hordei nomine omne ſati-  
genus ſignificari, quo homines ad pa-  
nem faciendum vtuntur: quæro ta-  
men mysterium. Mefſis tempore re-

*Ioann. 4.**Iust. 10.*

dit Noëmi, quando cibi solent mino  
ris ducédi, & promptius est sibi com  
parare quām alia tēpestate: sic ad v  
bertatē nos vocat per pœnitentiā do  
min⁹. De hac messe loquebatur Chri  
stus, cūm dicebat: Leuate oculos ve  
stros, & videte, quia regiones iam al  
bæ sunt ad messem. Et post pauca:  
Ego misi vos metere quod non la  
borastis. De eadem & illud: Messis  
quidem multa, operarii pauci. Roga  
te &c. Nam Apostolos metere, nihil  
aliud est quām ad pœnitentiam co  
hortari. Id enim est Euangeliū præ  
dicare. Messis ergo est quoties pœ  
nitētia agitur, & ea Messis, qua etiam  
triticum tritetur, vt granū purum  
remaneat, paleæ seorsum ponantur,  
vel hīc per nos cōburendæ, vel igne  
purgatorio post mortem. Non enim  
ita separantur paleæ à granis, vt om  
nino

nino proiificantur ex area. In angulo  
sepositæ sunt, arsuræ cum nobis, vt  
deo videbitur. Noëmi suorum plau  
su accepta est, non statim pristino ho  
nori quem habuerat (quod ad secula  
res attinet dignitates) restituta. Eguit,  
alsitque, priusquam eò pertingeret:  
vt intelligeremus non omnibus re  
mitti totam poenā per pœnitentiam,  
quibus tota condonata est culpa: cu  
ius figura in Absalone præcessit, qui  
Ioab patrocinio è Gessur reuocatus,  
patrique reconciliatus, iussus est ma  
nere in domo sua, & nondum videre  
faciem patris Dauid. Alioqui si ad  
Deum conuersi, vt culpæ, ita & pœnæ  
veniam referimus, cur nos postea ille  
punit iam innocētes? Cur nō repente  
sedat bella, famem, morbos, cæteras  
que afflictiones, vt primū ipsi recon  
ciliati simus, si simul cum culpa tota  
quoque pœna remittitur?

## M Y S T I C A

## EXPOSITIO PRIMI

huius capititis.

**V**Idetur mihi allegoricè naturæ humanæ status tum labetis, tum surgentis describi hoc capitulo : quod velim citravllijs reprehensionem à me dictum esse intelligi. Congruere enim mihi videntur ad hanc sententiam tum rerum nomina, tum res ipsæ. Elimelech Deus meus rex interpretatur, Noemi pulchra, Mahalon chorus : Chelion cōsummatus siue perfectus, aut totus columbinus : Moab, de patre : Bethlehem domus panis, vel dominus belli : Ephrata, vbertas : Orpha, ceruicosa, vel denudatio oris : Ruth saturata vel inebriata. Per Ephratam quid aptius denotetur quam Paradi sus

sus terrestris, in quo primi homines collocati sunt : vbi omnigena abundantia ita erat, vt nihil desiderare possent, quod abesset? Quem locum preterea & Bethleem significat, id est dominus pānis, cuius appellatione in scripturis sanctis id omne significatur, cuius usus ad hominis vitā necessarius est. Aut ( si placet interpretari) Bethlehem domum belli, accōmodissimum erit. Domum enim belli dicimus, non vbi bellum ipsum agitur, sed vbi seruantur, quæ ad gerendum vel propulsandum bellum sunt necessaria. Ecquæ verò arma defiebant eo in loco primos homines ad profligandum hostem? profectò nulla fuerit proinde paradiſus ille terrestris siue Ephrata, siue Bethlehem, quo loco collocati sunt Elimelech, Noëmi, Mahalon, & Cheliō, aliquan-

tulo tēpore: id est Adam, & Eua ini-  
tio tales quales hæc nomina signifi-  
cāt. Amabāt, timebāntque & colebāt  
Deū , qui illis Deus erat & rex solus:  
quod Elimelech denotat. Erant Noë  
mi, id est pulcherrimi, siue spectetur  
corpus, siue animus: vt pote quos sol⁹  
Deus molitus fuerat , qui cùm solus  
res cōdit, pulcherrimas solet efficere.  
Animos ornabat, cùm originali iusti-  
tia omniū rerū cognitio & omne ge-  
nus virtutum: corpus, singularis illa  
harmonia consensusque mēbrorum  
cum rationis arbitrio: quies earū par-  
tium honestissima , quæ hodie, quia  
turpiter rebellant, diligenter occul-  
tantur. Denique quod hodie in cor-  
pore existimamus inhonestum, tum  
honestissimum fuit, vt & aliquando  
futurum est, receptis corporibus in  
resurrectione generali. Gaudium ha-  
bebant

bebāt(sī voluissent) imperturbabile,  
quod Mahalon: & perfecti erāt diui-  
nis donis, quod Cheliō significabat.  
Sed quid? in diebus quando Iudices  
iudicabant . Facta est fames . Inuasit  
primos illos homines appetitio fru-  
ctus vetiti, passique sunt à serpēte se-  
duci. Victi enormi desiderio, egressi  
sunt spiritualem prius Ephratam, vt  
peregrinarentur in Moab, id est in  
regionem carnalis voluptatis. Moab  
enim ideo ita nominatur, quod ex-  
eranda filiæ voluptate, de patre geni-  
tus sit. Fuit enim Moab filius filiæ ma-  
ioris Loth, cuius historia texitur in  
libro Geneseos, capite decimonono.  
Postea autem & de Ephrata corpo-  
rali, id est de paradiſo terrestri pro-  
fligati sunt, vt peregrinarentur in ter-  
ra, victuri ærumnos & asperè. Id au-  
tem accidit cùm nōdum tyranni es-

C O M M E N T A R I A

sent, nondum Reges violenter impe-  
 rarent mortalibus, sed Deus ex æquo  
 iudicaret. Quid accidit postea? mu-  
 tauere peregrini isti nomina, dictūs  
 que est iam non Elimelech, sed ho-  
 mo rex meus nolentis & inimici, id-  
 que meritò, vt qui Deo sponte pare-  
 re noluerat, coactus seruiret mortali.  
 Pro Noëmi rugosa & fœda dici me-  
 ruit: pro Mahalon luctus, & pro Che-  
 lion corruptus & imperfectus dicti  
 sunt. Nec id tantum mors paulopost  
 illos aggredi coepit: qui si stetissent,  
 non erant morituri. Elimelech mor-  
 tuus est vir Noëmi: quem aliquanto  
 postea sequuti sunt filii. Prius tamē  
 vxores duxere alienigenas, id est pec-  
 catū addiderunt peccato, iuxta illud:  
 Abyssus abyssum inuocat. Peccatum  
 enim, ait Diuus Gregorius, suo scele-  
 realiud attrahit. O infelices nuptiæ.  
 Sed

T N L I B . R V T H . 35

Sed quid tandem? Sempér ne exula-  
 bit natura humana? Obluiscetur mipſal.76.  
 feri Deus, & continebit in ira sua  
 misericordias suas? Haudquaquam:  
 ipse nouit ſegmentū nostrum, & ſcit pſal.102.  
 quoniam puluis ſumus. Proinde in-  
 dicauit Noëmi in terra Moab reddi-  
 turam ſe iis qui Ephratā incolebant,  
 priorem vbertatem: rediret ſi vellet.  
 Et id quidem per prophetas ſuos ho-  
 minibus denuntiauit. Quapropter  
 illi diuinitus incitati, ſtatuerunt reuerti  
 ad populum Dei, vt participes eſſent  
 liberalitatis diuinæ. Quid autem ſibi  
 velit, quod Noëmi nūribus ſeceffum  
 consuluerit, quod Ruth ſequuta fit,  
 quod tempore messis appulerit,  
 quod ſui ciues congratulati ſunt re-  
 gressis, in commentario copioſe ex-  
 pliſatum eſt.

E iii

**R**at autem viro Elimelech consanguineus homo potens, & magnarum opum nomine Booz.

Hoc capite secundo assumptio & vocatio gentium ad Christum mysticè describitur: Cuius primus parés & autor generis fuit Adam, iustis de causis dictus Elimelech, velut in mystica expositione præcedentis capititis ostendimus. Hic consanguineum habuit hominem potentem & opulentem Christū de Adam sanguine, absque corruptelæ contagio vlo, opera spiritus sancti in virgine matre procreatū: Cui aliquando pater suus potentissimus rex & duximus, cuius est terra & plenitudo eius, dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ. Fuisse quoque se potenter ipse profitetur, qui principē hius mundi alioqui fortissimum ligauerit, spoliauerit, & postrem eicerit foras. Magnarum autem opum esse testis est Paulus, qui in eo scribit omnes thesauros sciètiæ reconditos ad distribuendum postulantibus in fide & non hæsitantibus. Hæc præponuntur veluti ad faciendam Ecclesiæ spem, ne quod peregrina sit, vereatur: non periere omnes quorum sperare possit connubia. Quod ad litteram attinet hunc constat iudicem fuisse populi, velut antè diximus, siue Abessam aliâs diceretur, siue erat monymus. Cæterum non videtur fuisse filius Salmonis, sed alias eiusce iunctionis. Nam hic adhuc ido-

E iiiii

neus generationi erat, cū annus age-  
retur post initium principatus Iosuæ,  
quando Salmon de Rahab suscepit  
Booz, trecentesimus (teste Lirano) &  
vigesimalis quintus, ac supradictus. Fuit igitur  
(ait ille) tertius Booz nepos illius filij Salmonis. Nam, ut ille vult,  
tres, successione quadam, populo praefuere hoc dicti nomine: quorum hic  
ultimo fuerit.

*Dixit autem Ruth Moabitis ad socrum suum: Si iubes, vadam in agrum & colligam spicas qua fugerint manus metentium, ubiunque clementis in me patris familiæs reperero gratiam. Cui illa respon-  
dit. Vade filia mi. Abiit itaque, & colligebat spicas post terga metentium. Hinc Noëmi manifesta est paupertas, quæ in ordinem egentium ita redacta sit,  
ut ad transigendam vitam egeret col-  
lectis spicis, quas pauperibus relin-  
quendas*

*Zenit. 19.  
eg. 23.*

quendas iubebat lex. Ipsa autem siue potius æquè egestosa Ruth typus fuit Ecclesiæ, quæ ex Gentibus electa est. Quid enim tum illa habuit opus spiritualium? Non scientiam, cum in tenebris plusquam cymmeriis animi versaretur, usque adeo ut ne lumine quidem naturali, quo Deus esse noscitur, uti videretur: quæ coleret idola pro vero Deo. Consumpscerat in regione lôginqua vniuersas facultates, viuendo luxuriosè. Nihil residui sibi fecerat preter famem, qua hortatrix tandem rediit ad patrem. Eam famem tam necessariam illi per prophetam pater promiserat: Conuer-  
*psal. 58.*  
tentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt ciuitatem. Et alibi, Ecce dies veniunt, dicit dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ,

C O M M E N T A R I A

sed audiendi verbum Dei: quod hic per spicas significatur. Ut enim nisi diligenter excussis & secretis paleis, grano, quod tegebant, non potimus: ita nisi bene diligentérque verbum discussum sit, secernatúrque palea diligenter, non erit triticum quod putabitur esse, sed zizania. Sedulò terrena versandáque scriptura, vt germanus cruatur sensus: ne quis putet statim omnibus obuium esse. Testis est Petrus in coapostoli Pauli epistolis difficultia quædam esse ad intelligendum: & ipsemēt Paulus scribit, passim à quibusdam iactari de suis epistolis, Epistolæ graues sunt. Et alibi apertius indicans iam accusari ipsas obscuritatis. Quod si etiam operatum est Euangelium nostrum (ait) in iis qui pereunt est opertū: in quibus Deus huius seculi (i.e. seculi huius a-

mor)

*2. Pet. 3.*

*2. Cor. 10.*

*2. Cor. 4.*

I N L I B . R V T H . 38

mor) excæcauit mentes infidelium. Itaq; initio inops Ecclesia è gentibus assumpta, nō continuò tota falce ple nōq; sinu metebat, sed colligebat spicas pauperum more, excutiens cum Thessalonicēsibus & scrutās scripturas, num quę dicebātur, ita se haberēt

Quòd attinet ad literam, Solertia Moabitidis Ruth apparent qualis fuit in maioribus nostris ad Christū conuersis. Nequit esse otiosa: nec cùm egeret, vult vel mendicare, vel furari quò viuat, vt quæ vegeta sit, yribusque valcat ad parandum victimum. Videbatur intellexisse illud, quod longo pòst tempore dictum est: Qui non laborat, nō manducet. Ni-  
*2. Thess. 3.* hil interim dictum sit in eorum contumeliam qui mendicitatis piam regulam professi sunt. Alioquin Apostolorum princeps, & alii Apostoli,

## C O M M E N T A R I A

*i.cor.9.* qui, teste Paulo, sorores mulierculas circunducebant: debuere potius manibus suis victum sibi parare, quam prædicationi operâ dare. Id ita non est. Ergo qui disseminando Euangeliō orationique vacant (velut sunt ii de quibus mox diximus) satis operantur, admodumque, si quod instituere perficiant. Rursus etsi cupiat laborare Ruth, id iniussu socrus non audet tentare, quare veniam eius rei petit: videlicet indicans ne colligendas quidem verbi Dei spicas esse matre Ecclesiæ inconsulta: ut quæ norit, qui legere, quid, quo in agro, & quo tempore debeant. Quæritur apud Prophetā dominus de spicatoribus istis, qui temerè colligebant & spongabant in populum. Non mittebam, ait prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant,

*Hierec.23.*

## I N L I B . R V T H .

39

bant. Id si hoc tempore homines intelligerent, non tam propensi essent ad tractandas sacras literas tam temerariè, nec tam præproperi ad docendam plebem, quæ ipsi nō intelligunt: præsertim dehortante ab isto ausu Apostolo Iacobo, qui Nolite(ait) *Iacob.3* fratre mei plures magistri fieri, sciētes quod maius iudicium sumitis. Postremò in eo Ruth quam modesta esset indicauit, quod professā est se, nemini, in cuius agro collectura esset, incommodaturam aut læsuram. Dicit enim ibi tantum lecturam se, ubi clementem patrem familiâs nacta esset, alioquin inuito domino ac vetante, & si id per legem pauperibus ac pe- *Leuit.23.*] regrinis permisum sit, nō tamen collecturam. Quam pulchra primordia Ecclesiæ Gentibus electæ, quam diuersa ab exitu quæ hoc tempore vi-

detur quærere.

*Accidit autem vt ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. Et ecce ipse veniebat de Bethlehem: dixitque messoribus, Dominus cōbiscum. Qui responderunt ei benedic tibi dominus. Dixitq; Booz iuueni qui messoribus praeerat. Cuius est haec puella? Cui respondit. Haec est Moabitis, quæ venit cum Noëmi de regione Moabitide, & rogauit ut spicas colligeret remanetes, sequens messorum vestigia: & de mane usque nunc stat in agro, & nec ad momentū quidem domū reuersa est.*

Multa hic penitus insipientibus occurunt, haud obiter differenda. Non est vanum quod accidisse dicitur ager ille dominū habuisse Booz, ipsūmque salutasse messores, & resolutū fuisse, rogasse de puella, cuius in laborādo solicitude à famulis do-

mino exposita sit, vt quæ cibum non caperet ante vesperam, ne quam iacturam faceret operæ suæ. Quod accidisse dicitur, ad eum referri nō potest, à quo nihil casu fortunāve fit, sed ēterno omnia consilio. Hominibus accident res, qui sāpius ex euenu de rebus decernūt, nō Deo. Itaque Ruth accidit vt venisset in agrū spicilegium factura, cuius dominus esset Booz. Non accidit Booz vt ager ipsius esset, aut mulier legeret. Et aptè, meo quidem iudicio, ipsi Ruth id accidisse dicitur, quę Gentium ecclesiā præsignauit: quia nihil minus quærentibus aut sperantibus gentibus cōtigit vocari à Christo, vt ex ipsis Ecclesiam suam constitueret. Dicit enim Apostolus Paulus: Cū ad. Rom. 5. huc peccatores essemus secundū tempus, Christus pro nobis mortuus est.

Quomodo enim quærebât, qui oblatio ita aduersabantur, ut interficerent offerentes? Rectè itaque dictum est, accidit, & reuera faustè felicitérque nobis Gentibus accidit, ut vbi metebât Iudei, spicas legeremus: quia de dignantibus illis tandem metere, nos pro illis messores facti sumus, post quos in fine seculi spicas ipsi collecturi sunt. Ita enim dixit Apostolus: Rom. II.  
 Vbi plenitudo gentium intrauerit, omnis Israël saluus fiet. Denique quod Booz de Bethlehem in agrum venit, quid aliud sibi vult, quam quod de cœlo, vbi abundant famuli panibus, venit filius Dei visitatîrus, redemptionémque facturus plebis suæ. Quod autem salutauit messores, dicens: dominus vobiscum, id omnino est quod Euangelista scribit, nato domino astitisse angelum cum multitudine

Luc. I.Luc. 2.

titudine militiæ cœlestis pastoribus ouium vigilantibus super gregem suū, & monuisse ut inuiseret, his verbis vsum: nolite timere. Ecce Euangelio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum inuenictis infantē panis inuolutum, positum in præsepio, id est dominus est vobiscū. Cui messores suam reddidere salutem, cum pastores visc secum domino suo, reversi sunt glorificantes & laudantes deum in omnibus quæ audierant & viderant, scit dictum est ad illos. Quod verò mox rogauit, Quæ est hæc puella: & quæ esset indicatū est: mire congruit cū illo quod alias Euangelista dicit: nato seruatore properasse Bethlehem ab oriēte Magos Math. 2.

Lxx. c. 14.

vt adorarent ipsum, & quæsisse, Vbi est qui natus est, Rex Iudæorū? Tum eum nouit Booz Gentilē populum cupere spicas legere, quæ de plena Iudæorum manu deciderent. Alioquin cur tam procul venissent? Habet autē mysteriū suum quòd Ruth, id est Gentilis populus, foris in agro repertus est. Id recordari facit eius parabolæ quæ est apud Lucā, vbi legimus quòd cum ad conuiuium recusasset in tempore venire qui in uitati fuerant, excusarēm̄bue omnes, alij per nuptias, alij per villā emptā, reliqui per iuga boum experiunda: tandem famulo dominus conuiuii præceperit, vt exiret in vias & sepes, & compellerent intrare, vt impleretur domus sua. Certè nos ex gentibus vocati, vias insidebamus & sepes, a grestes eramus, & omnis boni notio-

ne

ne priuati. Illuc tamen nos dominus inuisit, vt in domū Ecclesiæ suæ recipemur. Vnum tamē videtur non prætermittendum: quod vbi æditio nostra habet, Et nec ad momentum quidem domum reuersa est, Hebræi legunt hodie, excepta modica sessione eius in tugurio. Que lectio si proba est, forsitan indicat tantisper remoratos Gentiles in tigurio philosophiæ naturalis, ne promptissimè Euangelij simplicē prædicationem auscultaret. Apóstolus enim dixit: Græci sapientiam quærunt, nos autē prædicamus Iesum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.

*Et ait Booz ad Ruth. Audi filia, ne vadás in alterum agrum ad colligēdum, nec recedas ab hoc loco, sed iungere puellis meis, & ubi messuerint sequere. Man-*

F ii

## C O M M E N T A R I A

dauī enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi. Sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas & bibe aquas de quibus & pueri mei bibunt. Quām blāde consanguineus affini suæ, princeps subiectæ, diues pauperi loquitur! Peregrina erat & alienigena, filiam tamen nominat. Audi, inquit ille, consilium meum filia, modò cape auxilium tibi profuturum. Nondum notus sum tibi planè, & cùm planè amicus sum tibi. O benignitatem Dei quam Booz præfigurauit! Ne vadas in alterum agrum ad colligendum. Ad contumeliā accepturus sum, si relicto meo agro, aлио concesseris, præsertim omni tibi ad manendum illecebra proposita. Ager domini Ecclesia catholica est, quam hactenus Romanam diximus, cui veri ac legitimi Petri successores præfuerere. Ager domini est Apostoli-

ca

## I N L I B . R V T H .

43

ca fides. Ager domini est scriptura sa-  
cra. Cauendum vt Ecclesiæ orthodo-  
xæ iugum excutiamus, vt alteri Eccle-  
siæ, quæ Ecclesia non est, sed Synago-  
ga satanæ, nos subdamus. Alibi quām  
in Romana Ecclesia, neque verè me-  
titur, neque colligūtur spicæ. Cauen-  
dum item, vt ne in Lutheri cætero-  
rūmque hæreticorū agros collectū  
eamus: vbi species quidem tritici, si  
oculis modò sit fides, pulcherrima  
est: at cùm trituratur, mera exit ziza-  
nia. Auferunt Lutherani alimoniam  
Christianis, id est augustissimum Eu-  
charistiæ sacramentum: quomodo  
pascerent in agro spicas legentē? Ca-  
uendum denique vt in alia scriptura  
quām in sacra spicæ legantur. Quid  
enim prosunt ad animi vitā scripta  
nefanda lasciuorum poëtarum, tum  
Latinorum, tum vernaculorū? Quo

F iii

nobis lectio Alchorani, legisq; Ma-  
humeticæ: In eo agro nec metendum  
nec legendum: nili fortè prouectiori  
bus, iisdē piis, vt refutare valeāt isto-  
rum librorum vanitates. In summa,  
non recedendum ab hoc loco & gra-  
du, quo nos per baptismū constituit  
dominus. Tentent nos quantum vo-  
lent hæretici, illiciant, minentur, affli-  
gant licet, non recedamus à loco or-  
thodoxæ fidei, in qua per Dei gratiā  
stamus. Iūgamur pueris Booz, id est  
Christi domini: quocunque ille loco  
messuerint, nos sequamur. Puellarū  
nomine simplices Christiani signifi-  
cantur, qui libenter obsecundant iu-  
benti patrisfamiliâs, & rerum perfe-  
ctam notitiam sibi non arrogant, cre-  
dunt autem facile bene monentibus.  
Isthuc nos vocabat Christus, cùm di-  
ceret: Estote prudētes sicut serpentes

*Matt.10.*

&amp;

& simplices sicut colubæ. Et Paulus:  
non plus sapere quām oportet sape- *Roma.12.*  
re, sed sapere ad sobrietatē. Hos in-  
quam, sequamur, vt tuti simus: quia  
qui ambulat simpliciter, ambulat *Proner.10.*  
confidenter. Mandauerat quoque  
dominus pueris, id est discipulis suis,  
ne molesti essent ad se accendentibus.  
Primo quidē exemplo suo, qui pro- *Marc.10.*  
hibentes ad se venire paruulos, in-  
crepauerat Apostolos. Deinde cum  
iisdem de primatu altercantibus, di-  
xerat: Scitis quia Reges Gentium *Matt.20.*  
dominentur eorum, id est vi, autori- *excedere*  
tatēque iniqua vtuntur in subditos: *modum un-*  
non sic erit inter vos. At nunc præpo- *tra prælato*  
stera omnia. Ministri, qui, cū alioqui  
indigni essent, ad functiones sum-  
mas euecti sunt, se digniores penē suf-  
focant (vt de quodam ipsorum simi- *Matt.25.*  
li in Euāgelio legimus) & inclemen-

F iiiij

ter attractant. Vix hodie passim ini-  
quiiores dominos ferunt Christiani,  
quàm Episcopos, abbates, aut etiā cu-  
riones ipsos. Videntur huiuscmodi  
*2.Cor.13.* velle Paulū mendacii coarguere, qui  
dixit datam ipsis potestate in ædifi-  
cationē, non in destructionē. Ingens  
certè diligentique expensione digna,  
domini sententia, dicentis: Mandaui  
pueris meis, vt nemo molestus sit tibi.  
Cùm itaque bifariam fratri molestos  
esse nos contingat, lèdendo, & opem  
negando: Cōtra domini sui mandatū  
ministri faciunt, qui suo ipsis verbo,  
exemplo, aut etiam opere lèdunt: Et  
quod debent pr̄fidiū opēmque non  
ferunt. Qui enim non iuuit cum po-  
tuit, lèsit: quantumagis qui debuit?  
Quanquam ad omnes nos, nedum  
ad pr̄elatos, id mandatum à domino  
est, ne molesti fratri nostro simus, pr̄  
sertim

sertim pauperi, & superfluis nostris  
contēto, cuiusmodi Ruth videbatur.  
Qui ènī dixit, Diligite inimicos ve  
stros, & benefacite iis qui oderūt vos,  
apertè cautum esse fratribus voluit.  
Adde quòd quicquid minimo fratrū  
suorum, id est pauperum, factum fue-  
rit, sibi arrogaturus est factum: igitur  
& qui molesti sunt fratribus, domi-  
no proculdubio sunt molesti. Nō ve-  
tat interim corripere, si peccatū fue-  
rit, cum ea de re legem propriam tu-  
lerit, vt bis monitus frater, nec emen-  
datus, grauissimam Euangelicæ legis  
poenam subeat, nempe excommuni-  
cationem. Cæterū tantum abest vt  
velit ipsum à ministris immerentem  
affligi, vt addiderit: Sed etiam si sitie-  
ris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas,  
de quibus & pueri mei bibunt. Illud  
est quod Apostolus dixit, Cōmuni-

## C O M M E N T A R I A

*Galat. 6.*

retiis qui catechisatur, id est instruitur verbo, ei qui se catechisat in omnibus bonis. Ita enim fieri debet, ut qui instruitur curam præceptoris gerat, faciatque illi suas facultates cattenus communes, ut ille recipiat quæ ex vsu sunt: vicissimque qui instruit, si supra necessitatem habeat, imperiat discipulis quo viuant moderatè. Eius exemplum habemus Christi Domini, qui bis sequentes se populos pauit in deserto. Sarcinulas autem nominant, yasa quibus vicitus famulorū scruabatur.

*Matth. 4.**Ioan. 6.**Marc. 6.**Luc. 9.**Marc. 8.**¶ Mat. 5.*

*Quæ cadens in faciem suam, et adorans super terram, dixit ad eum: Vnde mihi hoc, ut inuenirem gratiam ante oculos tuos, et nosse me dignareris peregrinā mulierem? Docet nos hæc muliercula tam disertè omnia dicens, humiliiter agnoscere beneficia Dei. Certe si quis*

## I N L I B . R V T H .

46

quis diligenter, ut res postulat, animum aduertat ad magnitudinē Dei erga nos meritorum, comperiet esse maxima, & omnino nos obstringere, ut perpetuò memores existamus. Ut omittam nos ab ipso conditos, ita cō tempseramus Deū, legémque ipsius mitissimam, ut verbulo serpētis persuasi, illico desciuerimus, hæsuri hosti ipsius, nostrōque diabolo. Hoc plusquam parricidio quām vindictā non commerebamur? At nos quasi innocentes in vita cōseruauit, fouit, aluit clementissimè, castigatos interīm, dum filium suum pro nostra culpa diluenda per mortem atrocissimā ad nos hominem futurum dimitteret. Incideramus in tam crassas ignorantis tenebras, ut diuinitatem cadiuis tribueremus, etiam in honestissimis: pro quibus tādem lumen fidei

*Gene. 3.**Roma. 1.*

nobis impartiit, quo iam non secula-  
 ria hæc tantum, sed & coelestia spe-  
 culamur, & adusque ipsum Deum  
 spectandum contendimus. Fregera-  
 mus, imò potius tradideramus arma  
 nostra victori cacodæmoni: Deus no-  
 bis meliora plurāque restituit, qui-  
 bus & nos tucamur, & aduersarium  
 propulsemus. Habemus enim septē  
 sacramenta pro vno, quorum pluri-  
 bus liberum est nobis cùm placet, vel  
 amissim Dei gratiā recipere, vel au-  
 gere conseruatam. Nonne hæc ingen-  
 tia sunt? Sed recensui patentiora. Hu-  
 miles proinde simus in cōspectu do-  
 mini, & adoremus ipsum pro tantis  
 in nos beneficiis suis. Quòd cecidisse  
 Ruth dicitur in faciem suam, myste-  
 rium continet. Id enim contingit so-  
 lis quos Deus tangit, sicut scriptum  
 est in Psalmo: Sagittæ tuæ acutæ, po-  
 puli sub

puli sub te carent in corda: alij re-  
 trorsum collabuntur vt Heli, & qui  
 captari Christum cum proditore ve-  
 nerant. Cadūt pij in terram in faciem  
 suam, qui corā domino, se quid sint,  
 vnde profecti aut moliti, sedulò con-  
 siderant. Cadūt supini, qui sublimia  
 spectant affectantque, aut quolibet  
 etiam peccato corruunt. Nec cecidit  
 tantum in faciem suam, verūm ado-  
 rauit etiam super terram, id est humi  
 procumbēs. Quid hoc? hominēm ne  
 etiam adorare licet? Cur ergo se ve-  
 tuit angelus in Apocalypsi adorari?  
 Et quid sibi volunt legis diuinæ hæc  
 præscripta? Dominum Deum tuum  
 adorabis, & illi soli seruies. Et, Regi  
 seculorum immortali, inuisibili, soli  
 Deo honor & gloria? Cogit nos sa-  
 cra scriptura non huius tantum loci,  
 sed & aliorum plerorumque. (Nam

<sup>I. Reg. 4.  
Ioan. 18.</sup>

<sup>Apoc. 22.</sup>

<sup>Deute. 6.</sup>

<sup>Matth. 4.</sup>

<sup>I. Timo. 1.</sup>

- Gene.18.* & Abrahā angelū adorauit in Gene-  
*Gene.19.* si, similiter & Loth, ambo viri sancti:  
*Gene.27.* Isaac inter benedictionē Iacob, illud  
*Gene.33.* optat, vt ipsum adorēt tribus: Iacob  
fratré Esau pronus adorauit septies.  
*Genes.49.* Idem inter benedicēdum filios, pro-  
*I.Reg.20.* phetando prænunciat futurum vt Iu-  
*I.Reg.25.* dam adorēt fratres sui. Dauid tertio  
*I.Reg.4.* Ionatam adorauit, & se ipse adorari  
ab Abigail passus est, & muliere The-  
cuite ) vt multiplicem adorationem  
intelligamus esse: quarū vna sit Deo  
propria, alia sit etiam creaturæ com-  
munis. Alioqui si seuerè scripturam  
accipiamus his locis, vim eidē facturi  
sumus alibi. Nam si soli Deo omnis  
honor est debitus, exinanitū est præ-  
ceptum de parentibus honorandis:  
nihil iam tenebuntur honoris domi-  
nis suis serui deferre, nec subditi re-  
gi: imò ne nos quidem honore inui-

cem

cem præuenire permisum erit: quæ  
tamen sunt interim tum vetere, tum  
nouo præcepta testamento. *Quis be-*  
*nne Christianus, imò verò bene cor-*  
*datus ita sentiret?* Est ergo supremus  
quidem honor is, quem ei soli defe-  
rimus, qui solus summus omnium  
dominus est, & solus summè bonus,  
efficítque alia bona esse, quæ bona  
sunt, id est Deo. De hoc honore Mo-  
ses sensit in Deuteronomio, & Pau-  
lus ad Timothæū scribens, quæ pau-  
lò antè citauimus. *Deuter.6.*  
*I.Timot.6.*

## COMMENTARIA

ipſe velit à nobis in eo cui impedit,  
agnosci & honorari. Hic quoque ve-  
lut prior honor, adoratio nomina-  
tur in scriptura, sed ὀμονυμός. Hoc in-  
quam, adorationis genere in præ-  
fenti vfa est Ruth erga Booz. Hoc  
nos utimur honorandis mortalibus,  
& diuis, ipsorumque imaginibus.  
Hoc tantum interest, quod hono-  
randis imaginibus, animus non in  
ipsis consistit, sed refertur ad proto-  
typum, quem imprimis spectamus &  
honoramus. Quam proinde causam  
nos accusandi habet Luterani, quod  
diuos tolamus, & ipsorum imagines  
veneramur? Nunquid continuo ido-  
lolatra est qui ita veneratur imaginē,  
ut animum cultumque referat in vir-  
ginem Deiparētem: immo utatur ima-  
gine tanquam ipso monimento ali-  
quo sacratissimae virginis matris? Si  
ita est

## IN LIB. RUTH.

41

ita est, proculcandæ proterendæque  
erunt literæ quoque sacræ, quæ ima-  
go quedam sunt, id est monimentum  
diuinitatis. Quod enim mihi facit  
imago virginis ad colendum ipsam,  
hoc scriptura facit, Dei legisque diui-  
næ me admonens, ut obseruem.

At passim (inquiet) sacris literis  
vetamur imagines habere & colere,  
præsertim ubi Dominus dixit: Non  
facies tibi sculptile. Et Propheta: Si-  
Exo. 20. Leuit. 26.  
mulachra gentium argentum & au-  
Psal. 113.  
rum, opera manuum hominum. Si-  
miles illis fiat qui faciūt ea, & omnes  
qui confidunt in eis. Agnosco scri-  
pturam, & Dei mandatum: sed consi-  
dero præcipientis intentionem. Po-  
pulo præscribebat infanti, crassoque  
& rudi, quique indigebat adhuc pe-  
dagogo, & (quod periculosius erat)  
inter idololatras annis circiter trece-

G

*Gal. 4.  
Ioan. 6.*

tis nutritus fuerat: vnde ad idolorum culturam erat propensior: quæ causa fuit vt nec verum Dei cultum, qui est in spiritu, illis tradiderit, sed umbra-tilem, figuralem, & sculptile: similitudinemque omnium earum rerum, quæ siue in caelo sint, siue in terra, facere vetuerit: ne illa more gentium, in quem propendebat, pro Deo cole-ret. Nos vero (vel apostolo emancipationis nostræ præcone) iam non sumus sub pedagogo, neque sub tutoribus & actoribus, sed (velut prædictum fuerat) sumus omnes docibiles Dei: quibus non per ænigmata iam, vt illis, aut per figuræ traditus est verus ipsissimumque diuinitatis colen-dæ ritus, sed apertissimè: & qui ab incunabulis didicimus canere, Credo in unum Deum. Quapropter non est periculum iam, vt sanctorum imaginibus

nibus tribuamus diuinitatem, ipsasque pro Deo colamus. Igitur qui nobis idololatriam obiciunt, delirant: egentque helleboros ut sapient. Quādo enim vñquā vsquamve auditum est à nobis lignea, lapideave, aut etiā metalica simulachra, diuino honore culta esse? Sed hæretici cum cuperet furere, arripiuere ansam, ex supersticiose quarundam anicularum religione erga sanctorū imagines: quarum tamen nulla vñquam putauit aliud quam materiam esse, præterquā quod deum aut diuum aliquem representant. Adde quod occæcati diuorum odio, quorum culturam eliminare conspirarunt, non discernunt imaginem ab idolo: inter quæ tamē ingens est discrimen, etiā apud Græcos, quorum vox est εἰδώλον. Nam hi idolum vulgo dicunt simulachrum

esse, cui diuinitas attribuitur, cæteras rerum similitudines ~~enibus~~ appellates; cuius generis sunt Dei nostri, diuorumque imagines. Non inficiar tam apud vetustissimorum autorum quosdam, nominatim autem Epiphanius, lectitari nonnulla, quæ ipso occursu primo abiicere, immo & execrari sanctorum imagines videntur: at cum ea leguntur, non oscitanter considerandum, quo tempore autores scripserint, & quibus. Epiphanij ætate nondum extinctum erat Paganorum nomen, qui idola colebant: vnde ille cum deprehendisset quosdam nondum planè conuersos ad Christum, ita colere virginis matris imaginem, vt statuam Veneris ( nam & ex eiusmodi hominibus fuere, qui virginem Deiparentem Mariam, vt idem auctor testis est, deam quandam ex primis esse crederent)

rent) merito incaduit, euertit, destruxit. Quod & hoc tempore nihilominus nos facere conueniret, si eò ventum esset insaniæ, vt velut falsorum Deorum simulachra, ita cœlitū imagines adorarentur. Cum autem signantum nobis sint earum rerū, quas colere oportet, cum veneramur imagines, non simus idololatræ. Atque utinam vafriciem veteratoris caco-dæmonis miseri intelligerent, ex templis nostris communis domos facere molientis, & lucrum suum stabilire meditantis. Etenim si è sacris ædibus crucem dominicam, Dei & diuorum imagines tollas, quid templū aliud iam erit, quam communis domus? Eò, inquam, ingressus, quo monimento capiam Christi pro me passi recordationem? Ad quem diuorum confugiam, cuius ibi nihil erit quod

me admoneat? Igitur cùm tòta hebdomade rebus domesticis intentus, leges æquitatis fortè transgressus sim, præceptum vnum domini, aut etiam plura violauerim, quomodo me non possidebit securior hostis, cùm sciat nihil restare, aut admodum pauca, ad quæ si recordarer configurerem, vt seruarer? Scit autē versutus ille, quod cœlitum ope adiuti, expedimur vinculis ipsius, & eruimus: proinde toto studio conatur ipsorū obliuionē inducere, quæ facile obrepserit, si tollamus imagines. Lege de antiquo sanctorum imaginum vsu plurima vetustissimorum patrum testimonia in sexta cœcumenica Synodo, & diui Damasceni librum, ea de re piissimum.

*Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos,*

tuos, & terram in qua nata es, & veniris ad populum quæ antea nesciebas. Reddat tibi dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cuius configisti alas. Quæ h̄ic, adeoque toto libro dicuntur, vsque adeo clara sunt, quod ad literam attinet, vt tantum ad mysticos sensus recurrendum videatur, qui & ipsi propemodū literales sunt. Prodit igitur hæc litera, quod etsi Deus vltro, nullisque meritis nostris, nobis initio afficiatur & bene velit, ut pote cum prædestinat, & ad fidem nos primordio accersit, tamen operibus nostris imperfectis licet, id est non planè meritorii, quodammodo adiuuamus vocantem nos ad <sup>1. Cor. 3.</sup> summationem nostram. Sic Centuriō illius eleemosynæ ascendentēs ad Deum, effecere aliquid, paulū;

G iii

lum licet, ad impetrandā angelicam visitationem, & eruditionem Apostolorum principis. Itaque in hanc sententiam Booz, qui Deū nobis hoc loco refert, Ruth, quæ peccatorē ad dominum reuertentem significat, respōdit: Nuntiata sunt mihi quæ feceris socrui tuæ post mortē viri tui, &c. Placet ergo Deo charitas, non ea solum quæ parentibus nostris exhibetur, sed & quæ amicis & coniugum nostrarum parentibus: Placet quòd morte amicorum non finitur superstítum necessitudo. hæc ex hac scriptura manifestissima euasere. Placet rursus atque maximè domino, quòd pater matérque adeoque terra & cœlum, quæ nos fouere haec tenus, alueruntque, propter ipsum relinquisimus. Id ex Euangeliō notum est, vbi dicitur: Omnis qui reliquerit domū,  
Matth.19. vel

vel fratres, aut sorores, aut patrē, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possebit. Quódque hæc non prorsus vana sint, nulliusque apud Deū momenti, litera quæ sequitur patefacit. Reddat (ait Booz) tibi dominus pro opere tuo. Igitur pro opere bono aliquid sperauit à domino reddendum vir pius, ac de domino bene sentiens. Quia proinde frōte negant hæretici, tum opera nostra bona esse dicenda, tum vllam referre à Deo mercedem? Certè opera quædam nostra bona esse, & dici testis est, imò autor ipse dominus Christus, qui Mariæ patronū agens aduersus discipulum, Bonum, inquit, opus operata est in me. Et Apostolus, qui toties opus hominis dignatur nomenclatione boni: vt ibi:  
Matth.26.

## C O M M E N T A R I A

In die iræ & reuelationis iusti iudicij reddet Deus vnicuique secūdum opera eius. Iis quidem qui secūdum patientiam boni operis, gloriam & incorruptionē quærunt, vitam æternam. Iis autem qui sunt ex contētione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autē iniquitati, ira & indignatio. Et rursus ibidē: Gloria & honor & pax omni operāti bonum. De operum mercede tum præsens scriputra, tum quæ ex Apostolo producta est, manifestè testatur, cùm iis quæ apud Matthæum, dominus prædictus de compēsandis nostris in pauperes meritis. At in Euangelio (aiunt adversarij) dominus mandat nos fateri, quod etsi quæ iussa sunt perfecimus, dicamus tamē, serui inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus, Quasi verò vtiles possumus esse deo, & ille

*Matth. 25.*

*Ecc. 17.*

## I N L I B . R V T H .

54

& ille vnquam egeat opera nostra. Verè inutiles illi sumus, idque nos profiteri vbique oportet: nobis tamen interim vtiles sumus, cum præcepta perficimus. Ad nos enim præmium redit, sicut seruo suo seruatur merces à domino: etsi nō admodum utilis fuerit, fecerit tamen quoad potuit, gratum domino. Similiter quicquid egerimus, quod rectum esse videri possit, liberè vltrōque fatēdum, fecisse nos quod debuimus: atque ex eo referimus cum gratia mercedem. Nónne enim dominus dixit, Si vis ad *Matth. 19.* vitam ingredi, serua mandata? Qui autem seruat mandata, nónne facit quod facere debuit? Igitur ex eo quod facimus, quæ facere debebamus, inimicus plerumque à Deo bene solidam gratiam. Proferrem, si non puderet, Esayelocum, quo pro se ab- *Esa. 64.*

utuntur heretici contra bona opera: fœdus enim locum illū tractant ipsa re de qua agitur. Pannis, fateor menstruatæ cōparat propheta hominum opera, sed quorum obsecro? Nōnne idololatrarum, & omni vitiorum labe corruptorum? Quorsum verò attinet ista producere ad opprimenda piorū opera? Cæterūm quod adducit Booz, plenam mercedē recipias, clam indicat non plenam esse mercedem quæ hīc recipitur, vt quę non satiet hominem: sed aliam expectandam esse post mortem, quę eterna sit, & perfecta, alterius rei omne excluens desiderium. Aptè autem dixit confugisse Ruth sub domini alas. Deus enim Moabitarum, id est Diabolus in idolo cultus, coruus erat pullos suos lacerans, aut etiam accipiter auiculis inimicus: Deus autem Israël, gallina

gallina est, pullos suos congregans *Matth. 23.* sub alas suas.

*Quæ ait, inueniam gratiam tuam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis vnius ancillarū tuarum.*

Pergit Ruth ostendere non ingratæ contulisse Booz cōpellationis familiaris beneficium: quod certè exiguum non arbitrātur peregrini. Etsi enim plurimūm abundes apud ignotos, victurus es tamen insuauiter: si autem vel inops sis, experiaris autem amicos animos, & ad merēdum prop̄p̄os, magna iam ex parte te beatum existimes. Sic autem gratias agit, vt cupiat confirmari benevolentiam Booz erga se: inueniam ( inquiens ) gratiam apud oculos tuos, id est, vt coepi tibi digna videri, quam aspices & honorares, tum potestate legē-

di in agro tuo, tum conuictu puella-  
rum tuarū, & maximè humanissimo  
colloquio: oro, pergas isto erga me a-  
nimō esse, tu inquam, qui consola-  
tus es me præ cæteris ciuibus tuis, &  
loquitus es ad cor ancillæ tuæ, &c.  
Loqui ad cor, dixit Hæbraico tropo,  
pro eo quòd est leuare grauissimo a-  
nimi mœrore. Quanquam si refera-  
tur ad tropologiam, mysterium ha-  
bet. Tum enim vel maximè consola-  
tur nos Deus, leuátque mœrorem a-  
nimi nostri quamlibet grauem, cùm  
ad cor nostrū loquitur, id est nos isti  
mœrori & angustiæ animi causam  
præbuisse ita edocet, vt ipsi assentia-  
mur. Nihil enim perinde valet ad  
persuadendum vt modestè feramus  
aduersa, atque nosse quòd nos mali  
nostrī autores fuerimus.

*Dixitque ad eam Booz. Quando hora  
vescendi*

vescendi fuerit, veni huc, & comedē pa-  
nem, & intinge buccellam tuam in aceto.  
Sedit itaque ad messorum latus, & con-  
gescit polentam sibi, comeditque, & satu-  
rata est, & tulit reliquias. Ingens est  
gratitudinis & humilitatis meritū.  
Iis superatus Booz etiam cum messo-  
ribus quasi familiæ adscriptū cibum  
sumere, eodémque cibo vñā cū illis  
vesci Ruth præcipit. Id quid aliud si-  
gnificare potest, quām accitam gen-  
tium Ecclesiam eò per Christum di-  
gnitatis, vt cū Apostolis federet, eo-  
démque cibaretur augustissimo Eu-  
charistiæ sacramento? Quod verus  
est hominis Christiani cibus, vel te-  
ste Christo, qui apud Ioannem pro-  
fitetur: Caro mea verè est cibus, Et *Ivan.6.*  
sanguis meus verè est potus. Itaque  
nobis gentibus dictum est: Cum ho-  
ra vescendi fuerit, veni huc ad men-

sam domini, & comedē panē de cœlo verum, quē Moyses dare non potuit. Hora vescendi est, cūm te vocat Ecclesia mater, cūm tempus & modum ab Ecclesia pr̄scriptum seruas, & ipse palatum animi pr̄paratū habes, & bene mundatū. Qui enim māducat indignē, iudiciū sibi manducat & bībit: quia ipsi nō fuit oportunum vesci. Tum autem sedere nos ad mesforum, id est Apostolorū, latus oportet, & intingere buccellā nostram in aceto. Sedet ad latus Apostolorū quis quis, neque suprā, neque infrā quām Apostoli pr̄scripsere, docuere ve credūt. Id est sancte, sapiēterque credere. Ut enim tunc tūti sumus, cū lateri inhārem⁹ illius qui nos protecturus est: ita cūm nō discedimus à placitis Apostolorum & Ecclesiæ Apostolice, tuta est fides nostra. Econtrariò si-

cut

cut qui relicto protectore, temerē se effundit in campum aut multitudinem, facile periclitatur aut etiam perire: ita qui relicta Apostolica Ecclesia, noua amplectitur dogmata. Porro illud etiā exigitur à nobis, vt cūm ad domini prādium accedimus, acetum non deficiat vbi condiamus. Tum enim, si vñquam, recogitare annos suos conuenit in amaritudine animæ, & peccata lugere. Quanquam <sup>Ez 2,38.</sup> per totam vitam acetō nobis vtedūm est, id est in tempore bonorum, memores esse malorum, & miscere vtile dulci, vt, iuxta poētā, Omne feram⁹ punctū. Buccellā suam comes debat aceto, qui dixit, Antequā come <sup>Iob. 3.</sup> dam, suspiro, & Panē tanquam cincrem manducabam, & potum meum cum fletū miscebā. Rursūmque fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die <sup>Psal. 41.</sup>

H

ac nocte. Quod sequitur, Congefit polentā sibi, ad Booz referendum est, velut apertius in Hebræo est. Et ipse porrexit illi polentam: vt intelligamus à Booz inter refectionē præbitam polētæ haud exiguam partem ipsi Ruth, quo vel hoc pacto certa esset ipsius benevolentiae. Cæterūm polenta congruit materiae sacramenti dominici altaris. Ut enim polenta ex farina sit non fermentata, ita & nos Latini azimum panem cōsecramus, vt ex illo mysticis verbis ipsius Christi verissimū corpus fiat, subeātque species panis illius qui ante consecrationem fucrat. Hoc cibo Ruth, id est Christiana Ecclesia è gentibus assumpta, saturata est, & reliquias tulit ac condidit aliis abundè suffecturas. Vnde adeo enim copiosus est dominici corporis cibus, vt omnes affatim

&amp;

& ad usque satietatem capiant, nec defuerit adhuc, sitque vñquā usque ad seculi finem desiturus.

*Atque inde surrexit vt spicas ex more colligeret. Precepit autem Booz pueris suis dicens: Etiam si vobis cum metere voluerit, vel ( vt est hodie in Hebræo ) si inter manipulos vel aceruos colligat, nec prohibeat eam: & de vestris quoque manipulis proicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligatur, & colligentem nemo corripiat.*

Redit Ruth ad spicilegium, vt discamus non cessandum esse in via Domini, sed semper quærendum quid conduceat, præsertim in doctrina Euangelii. Dum illa ibat, statuit apud famulos Booz quanta libertate velit ipsam spicas in suo agro legere. Etiā si voluerit vel sibi metere vobis cum, & iam non inopinatò lapsas legere,

H ij

vel nōn solas amissas , verum etiam à vobis in manipulos coactas , vtcūque lubebit , sinite de meo capere , & fasciculos sibi nectere . Placet omnimodo liberam esse , quam video , haud ini- quam futuram . Ergone omnibus li- berum est in scriptura ( quam dixi- mus esse Domini agrum ) vt libitum fuerit , agere , ipsāque tractare ? Ruth hoc loco partim totius Ecclesiæ typū gerit , partim piorū quorundā Chri- stianorum figurat successum . In eo quod tota libertate permittitur stan- tes spicas metere , & iacentes ex acer- uis legere absque rubore , & famulo- rum vlla increpatione , totam repre- sentat Ecclesiam , cui à Domino po- testas facta est scripturam , vtcunque se habeat , tractare , metere , legere , in- terpretando , exponendo , abditos sen- sus eruendo : vt quę sit columna & fir-

1.Tim.3.

ma-

mamentum veritatis in iis quę agit , semper sponso accepta & irreprehē- sibilis permanens . Quapropter vide- ant hæretici , qui interpretationē scri- pturæ per Ecclesiam in sacris cōciliis traditam , irrident præ sua , & vilipen- dunt , imò & condēnant . Vetuit Booz increpari Ruth ab ullo famulorum . Cæterū quod toti licet Ecclesiæ , non continuò permittitur singulis . Centurio eleemosynis obtinuit in- uisi ab angelo , sed qui mysteria fidei non aperuit . Opus autem habuit in- terprete Ecclesiæ moderatore Petro . Antiochiæ ( vbi nomen Christianorū nobis primò inditum est ) plurimi e- rānt sancti viri , inter quos diuus Pau- lus & Barnabas , excitata disceptatio- est de seruanda lege Mosis cum Eu- angelio : Quam questionē nequeun- tibus fratribus explicare , missi sunt

Act. 10.

Act. 11.

Act. 11.

H iij

Paulus & Barnabas cū aliquot aliis,  
vt ex apostolis ipsis disceret, quid de  
ea re sentiendum ipsis videretur. De-  
nique Apostolus Paulus Epistola ad  
*1.Corm.12* Corinthios priore, spiritus sancti do-  
natiua enumerans, quibusdā donum  
scientiæ & interpretationis sermo-  
num datum esse profitetur. Vnicui-  
que (ait) datur manifestatio spiritus  
ad utilitatem. Alii quidem per spiri-  
tum datur sermo sapientiæ, id est ve-  
ræ doctrinæ tradendæ donum, cuius  
modi Apostolis & plerisque discipu-  
lis quadam *περισσοῦ* datum est: alii ser-  
mo scientiæ, id est intelligentiæ, eo-  
rum quæ insolita hominibus trade-  
bantur, videlicet ad confirmandos  
imbecilles: qui de his quæ audiuis-  
sent, fortassis ambegissent: alteri fides  
in eodē spiritu, &c. Igitur vel initio  
nascentis Ecclesiæ, quando maximè  
videtur

videtur opus fuisse sensu & cogni-  
tione euangelicæ doctrinæ, non om-  
nibus statim id donum contigit acci-  
pere, cùm homines pientiores essent,  
& aptiores afflatibus spiritus sancti,  
quàm hoc tempore. Neque aduersa-  
tur diuus Chrysostomus, qui locis a-  
liquot commentariorum optare vi-  
detur, vt arator ad stiuam, faber in of-  
ficina, omnis Christianus inter ope-  
ras Euangelii librum habeat & legat:  
aut si quis veterum similia sentiat.  
Non enim vñquam sensere illi om-  
nibus citra delectum communican-  
da Euangeliæ, aut vniuersam scriptu-  
ram sacrosanctā: sed præcipua quæ-  
dam, quæ imprimis conducerent in-  
stituendæ Christianæ vitæ: quæ om-  
nibus tradita illi perpetuò versarent  
oculis nō tam corporis quàm animi.  
Id quod ego quoque cupio hoc tem-

pore fieri: feligi, inquā, optima quæque ex literis sanctis & aptissima cōponendis ad pietatē, tum pueris tum rudioribus viris, quibus otium nō sit ob familiaria impedimenta, totā ver fare scripturam iusta diligentia. Id (nisi fallor) satius esset, quām tradere in scholis & gymnasiis foeda deorū stupra, & maledicētias oratorū prophanorum. Nunquam tamē & quum putauerim, hūc scripturæ delectum commitēdum ipsis iuuētutis institutoribus, quorū magna pars labe Lutherana corrupta est: sed theologis, quibus id per sui instituti professio nem incumbere videtur, vt reliquæ plebis vel formandis vel castigandis reparandisque moribus operam nauent quām diligentissimē. Quod si tam diligenter curarēt, quām paſſim postulantur studii priuatorum com modo-

modorum, & ipsorum maiestas interrior existeret, & mores videremus incorruptiores. Id tamen quisquis præſtiterit, ſedulō cauerit, vt tantum apta ætati & ingenio feligat: ne Hebreis minus cauti videamur, qui non finebant Geneseos initium, finē Eze chielis, & id genus obscura, quæſtiones ad explicandum apud rudes molestas parientia, vulgò paſſimque ab omnibus legi: ſed ea tantūm quæ ſeruirent animis ad pietatem prouchedis. Quorum interēſt, illud viderint, redeo ad negotium. Inter cætera id quoque Booz addidit: Et de vestrī manipulis proiicite de industria. Quod ſollicitus fuit Apostolus Paulus facere. Quoties enim legis in Epistolis ipsius, Humanū dico propter infirmitatem carnis vestræ. Secūdum Rom. 6. 1. Cor. 7. indulgentiam dico, & nō secundum Hiero. ad Paulinū.

*1.Corm.* ii. imperium . Præceptum non habeo,  
consilium autem do . Vos ipsi iudicate , nec natura docet vos ? Quod lo-

*2.Corm.* ii quor , non loquor secundum Deum ,  
sed quasi in insipientia . Secundū hominē dico , tamen hominis confir-

*Gala.3.* matum testamentum , &c . De indu-  
stria spicas discipulis Paulus proii-  
cit , vt legant . Quoties ( aio ) exemplis  
quibusdam rerum quæ notæ disci-  
pulis sunt , aut per moralis philoso-  
phię doctrinam aliámve conducibili-  
lem literæ sacræ familiarius explicā-  
tur . Toties mihi videntur sponte &  
de composito spicæ auditoribus di-

*1.Cor.12.* mitti , vt colligant . Ita Apostolus simi-  
litudine humani corporis quād di-  
uersa sint partium Ecclesiæ munia ,  
quāmque mutui officij egentia , mani-  
festum fecit . Quod supereft , non  
prætereundū , meo quidem iudicio ,

ex

ex hoc loco deprehēdimus magnam  
charitatis diuinæque amicitię acces-  
sionem nobis fieri , per id quod Deo  
colloquimur , quod Eucharistiæ sa-  
cramentum dignè sumimus . Vt enim  
Ruth ad mensam messorum accita  
est , vt partem plurimam polentæ de  
manu Booz , vt libertatem multoma-  
ximam colligēdi accepit , quo dition  
fieret : Ita & charismata ex iis quæ his  
significata sunt , nobis accumulātur .  
In iis quæ proximè subiiciūtur per-  
sonā gerit Ruth vniuscuiusque pio-  
rum fidelium .

Collegit ergo in agro usque ad vesperā :  
& quæ collegerat virga cedens & excu-  
tiens inuenit hordei quasi ephi mensuram ,  
id est modios tres : quos portans reuersa est  
in cimitatē , & ostendit socrui sua . Spici-  
legio incumbit Ruth usque ad vespe-  
ram , id est quandiu per lucis diurnę

facultatem licet: indicans vacandum  
 esse doctrinæ, & vitæ congruenti vni-  
 cuique pro suo modulo quandiu  
 spiramus. *Iean.12.* Dum lucem habetis: ait  
 dominus, credite in lucem. Et ambu-  
 late dum lucem habetis, vt tenebræ  
 vos non comprehendant. *Et aposto-*  
*lus, Galat.6.* Bonum faciētes non deficiamus,  
 sed dum tempus habemus operemur  
 bonum ad omnes, maximè autem ad  
 domesticos fidei. *Qui dormiunt, no-*  
*cte dormiunt: nos autem non sumus*  
*noctis neque tenebrarum, sed filij lu-*  
*cis. Ut autem quandiu potuit college-*  
*rat, virga cecidit fasciculos, atque ex-*  
*cussit palleas, & quod auolantibus*  
*paleis reliquum erat hordei, regressa*  
*in ciuitatem, ostendit socrui. Porro*  
*collegerat mēsurā ephi, id est, (quod*  
*tamen ab interprete velut per exposi-*  
*tionem est additum, nam non est in*

He-

hebraicis exēplaribus) modios tres.  
 Hæc scatent mysteriis. Doctrinæ la-  
 bore nostro conquisitæ fasciculi vir-  
 ga cædendi, excutienda doctrina vt  
 secernatur à paleis: ferenda in ciui-  
 tatem ad matrem etiam purgata, &  
 non minore quàm Ephi mensura, id  
 est trium modiorum. Virga reor na-  
 turalem æquitatem significari, qua  
 cedenda doctrina est, quam passim  
 audiendo, legendóque colligimus:  
 quandoquidem si quis, sensus tri-  
 buatur scripturæ Euangelicæ non  
 congruens naturali æQUITATI, bonus  
 non est, zizania est. Consonat enim  
 tota Euangeliæ doctrina naturali re-  
 stitudini, etiam in iis quæ reuelata  
 sunt, & naturæ superant facultatem.  
 Nam et si nequierat natura sacramē-  
 torum vim necessitatemque cogni-  
 tione assequi, ubi tamen reuelatione

didicit, indicauit hominis saluti cō*1.Corin.ii.* gruere. Propter hoc Paulus decorum prædicationis tradens, naturā consu-lendam iubet. Nónne, inquiens, ipsa natura docet vos, quòd vir quidem si comā nutritat, ignominia est illi, mu-lier verò, si comam nutritat, gloria est illi? Et Apostoli Petrus & Iudas hære-ticis exprobrant, quòd in iis quæ na-turaliter norūt, tanquā muta anima-*2.Pet.2.*  
*Ind.ca.v-*  
*mico.* lia corrumpuntur. Quid pluribus ad persuadendū opus? Ferūt Auicennā Mahumetis sectatorem, cùm nouum testamētum Christianorum legisset, respondisse meram esse legis natura-*Psal.44.* lis explicationem. Alii virgam hanc interpretantur Ecclesiæ auctoritatē, iuxta illud: Virga æquitatis, virga re-gni tui, quod vtique est Ecclesia. Ea virga exutienda, doctrina est omnis humanitus adiūcta, ne quid noxiūm  
conti-

contineat. Alludítque hęc expositio, cui ego non inuitus subscribo, con-suetudini, quam olim librorum cen-sores seruabant, quorum insignis vir-ga fuit, qua notabant quicquid le-ctione esset indignum. Excutitur do-trina, vt secernatur à paleis, cùm pro cul eiiciuntur carnis affectus per-turbationes. Quippe debet homo ad sacras literas ( siquidē assequi cu-piat) accedere, vt velit accommoda-re se, & vel admota sibi ipsi vi, tor-quere se vt aptetur scripturæ, non in-flectere scripturā præter ipsius natu-ram, aut etiam detorquere, vt fauere videatur suis affectibus. Regula est scriptura sacra affectionum nostra-rum, non nos regulæ ipsius sumus. Nemo vnquam bene intelliget quid spiritus diuinus latens in literis san-ctis moliatur, nisi qui mundus acceſ-

serit, paratúsque obsecundare spiri-  
*sapien.* tui. Sic enim testatur scriptura: In ma-  
 leuolam animā non introibit sapien-  
 tia, neque habitabit in corpore sub-  
*psal. 118.* dito peccatis. Et Declaratio sermonū  
 tuorum, Domine, illuminat, & intel-  
 lectum dat paruulis, id est puris & in-  
 nocētibus. De quibus Dominus ipse  
*Matth. II.* in euangelio. Cōfiteo tibi pater Do-  
 mine cœli & terræ, quia abscondisti  
 hæc à sapientibus & prudentibus, &  
 reuelasti paruulis. Vnde alibi di-  
*Matth. 5.* cit: Beati mūdo corde, quoniam ipsi  
*Ioan. 5.* Deum videbunt. Et iterum: Quomo-  
 do potestis credere ( aiebat Iudæis )  
 qui gloriam abinuicem accipitis, &  
 & gloriam, quæ à solo Deo est, non  
*Ioan. 7.* quæreritis? Rursūmque, Si quis volue-  
 rit voluntatem facere eius qui misit  
 me, hic agnoscit de doctrina vtrum  
 ex Deo sit. Ferendum in ciuitate ad  
 matrem

matrem omnium fidelium Ecclesiā,  
 quicquid tibi visus fueris de scriptu-  
 ra collegisse, non fidēdum tuo solius  
 iudicio: præferenda bonorū fratrum  
 sententia: cum quibus etiam si Eccle-  
 sia (quod possibile nō est) erraret, tu-  
 tius honestiúsque labereris, quàm so-  
 lus. Apostolus Paulus ne in vanum *Galat. 2.*  
 curreret aut cucurisset, petuit Hiero-  
 solymam, vt cum Ecclesia Euangeliū  
 suum conferat: & tu tibi satis esse pu-  
 tas iudicium proprium? Plurima in  
 speciem contraria habet scriptura iis  
 qui communi recepta sunt fide. Imò  
 verò de composito Spiritus sanctus  
 plurima miscuisse videtur in scriptu-  
 ra in speciem pugnantia, vt ad matris  
 Ecclesiæ interpretationem humiliter  
 cōfugiamus. Fides arrogatiā teme-  
 ritatēque abominatur. Nolite, ait *Roma. 12.*  
 Apostolus, prudentes esse apud vo-

*Rom. ii.* metipsos. Et noli altum sapere, sed time. Et quod collegaris, mensura Ephii metiatur. Ephii siue rectius Epha aridorū mensura est, & valet tribus modiis nō nostris, id est Gallicis, quibus hodie triticariis utimur, sed Romanis: quibus botij siue bosselli Gallici respondent. Itaque hinc docemur ut vniuersa, quæ studio nostro ex Euangelica scriptura vel doctrina retulerimus, vnius Ephii mensurā capiant, & trium modiorum, quæ eadem est: id est ad vnius Dei, qui Trinus est in personis, fidem redundet.

*Insuper protulit et dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.* Sanctorum hoc loco communio mihi describi videtur, quæ nihil aliud est quam benefactorum communis quedam ab omnibus participatio. Nam quādiu ad Ecclesiam pertineo non numero

mero tantum (vt peccatores non excommunicati) verum etiam merito, (vt quotquot gratiæ Dei participes sunt) omnium bonorum partem quādem capio, quæ ab omnibus piis meisque similibus fiunt: & illi vicissim sanguini meorum partes accipiunt. Non est enim contenta Ruth fidem suam cum communi totius Ecclesiæ sensu conferre: exprōpsit communemque esse voluit victum suum, & quicquid sibi supereisset, quod profuturum putauit matri Ecclesiæ. Quippe qui verè Christiani sunt, nō sibi solis agunt bene, sed cupiunt reliquis omnibus Ecclesiastici corporis membris professe. Oculus, inquit, vel teste Paulo, *i Corin. 12.* non dicit manui, opera tua non indigo: aut iterum caput pedibus non es istis mihi necessarij: sed si quid patitur unum membrum, compatiuntur

omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Inde tradunt theologi, nec leui- ter aut incōsulto, mutuò nos próque inuicem satisfacere, propter commu- nem illam membrorum Ecclesiastici corporis sympathiam: Quod tamen ego nolim ita accipi, quasi dicā propter communē satisfactionem, nihil restare post mortē, pro quo domino satisfaciēdū sit. Moriar potius quām id sentiam, qui credo ignem purga- torium ex scripturis & cōmuni Ec- clesiæ fide persuasissimum: sed illud modò affirmare contēdo, rectè agere Ecclesiæ præfectos (si modò id agant iustis de causis, nec passim aut teme- rē) qui communes istas fidelium sa- tisfactiones piis distribuūt: quòd dis- pensandi genus, haud ita recens, ve- nias siue indulgentias nominamus.

*Dixit-*

*Dixitque ei socrus sua. Vbi hodie colle- gisti, & vbi fecisti opus? Sit benedictus qui misertus est tui: Indicauitq; ei apud quem esset operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. Et hoc quidē lo- co Noëmi exemplo est iis qui liberos familiāmye habent quā veliht erudi- ri. Ii prorsus cauere debent, ne à qui- buslibet discant, sed à piis tātūm. In- quirendū sedulò apud quos sui ver- santur, aut quibuscū ineant consue- tudines, quæ quamplurimis occasio fuere pereundi, non animo tantūm, verum etiam corpore. Diuus Ioannes baptista, ille quem ob reprehensum crimen Herodes in vincula conie- rat, aliquantò post moriturus, cūm amplius cuperet erudiri discipulos Matth. ii. suos, ipsos mittit ad Iesum, de re pia salutique conducente rogaturos: vt discamus nostros quoque tum pia,*

I iij

tum à piis edocendos esse nostra diligentia. Quod felicitatē optat Booz, apud quē Ruth operata sit, clam monet ut bonis institutoribus ac præceptoribus siue doctoribus tum prece-  
mūr bene, tum de facultatibus, si e-  
geant, subueniamus. Nō enim ingra-  
tos esse conuenit, presertim Christianos.

*i Timot. 5.* nos quibus dictū est: Qui bene præ-

sunt presbyteri duplīcī honore di-  
gni habeantur, maxime qui laborant

*Deuter. 25.* in verbo & doctrina. Dicit enim scri-

*i. Corin. 9.* ptura, non alligabis os bovi triturati.

*Math. 10.* Et, dignus est operarius mercede sua.

*Lnc. 10.*

Cui respondit Noemi. Benedictus sie-  
d domino: quoniam eandē gratiam, quam  
præbuerat viuis, seruauit & mortuis.

Rursumque ait: Propinquus noster  
est homo. Vel ex hac litera colligitur  
probum fuisse & clementem Booz,  
qui Elimelech filiusque ipsius fuerit

amicus

amicus dū viueret, Et Noëmi ac Ruth  
pius clemensque post ipsorum morte.  
Quod adiecit propinquus noster est,  
nō tam fecit, vt indicaret naturali in-  
suos propensione id Booz fecisse,  
quam vt nouam aperiret causam nu-  
rui verendi amandique ipsius, à quo  
tam humanè esset habita: tum vt con-  
fidentiorem redderet ad colligidū.

*Et Ruth.* Hoc quoq; inquit, præcepit mi-  
hi, vt tādiu messoribus eius iungener, danec  
omnes segetes meterentur. Id est, sem-  
per, vel per totā vitam. Nam in agro  
diuinæ scripturæ erit semper quod  
nouum colligas, vsque adeo diues es. Legerunt maiores quam diligenter  
simē & domum retulere ad matrem  
Ecclesiam, plurimos commentarios  
expositionesque ipsius. At non per-  
uestigarūt aut assequuti sunt omnia.  
Seruauit posteris quoq; Deus sua quę

I. iii

colligant . Spiritus sanctus diuitias quas inclusit literis sacris, tum solum exerit, cum Ecclesiæ necessitas utilitasve exigit : cum non adstringatur semel omnes padere. Annis propter centis putabatur rebaptizandi quos haeretici baptizassent : postea docti sumus id non decere . Diu dubitatum est an spiritus sanctus a patre procederet: hodie yniuersa ita credit Ecclesia. Plura sunt eius generis exempla, quæ longum esset referre.

*Cui dixit Socrus: Melius est filia mihi, ut cum pueris eius exeras ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.*  
Et quis metus est, ut in alieno agro resistatur, praesertim hodie : quando ne iuris quidem ministri, quorum interest, cohibere spicilegia in haereticorum agro, impedimento sunt, immo fauent: ut qui magna ex parte vel col-

ligant ipsi, vel metant, velut agrimistri, Ecquis, inquam, est qui legentibus apud haereticos resistit aliquando? Deus, ecclesia, conscientia, magni certe, terribiles castigatores, quibus contradicentibus, nemo impune aliquid agit.

*Iuncta est itaque pueris Booz, & tan- diu cum eis mesquit, donec hordea & triti cum in horreis conderentur . Quandiu spicas legit Ruth, hordeum tantum dicebatur, cum de recondendo agitur, & hordei & tritici mentio fit. Idque aptè: hordeū, quod non ita sua- ue est ad edendū, poenitentiam quo- que significat, quæ colligendi tempo- re perseverare debet, id est, tota ho- minis vita . Triticum cibus cœlestis est: qui quidem agendo bene, colli- gitur in hac vita, iuxta illud, Opera-<sup>Ioan. 6.</sup> mini cibum qui non perit, sed perma-*

net in vitâ æternam: post verò eden-  
dum suauissimè reponitur iustis in  
celo. Quoad recondatur post mes-  
sem, id est, ysque ad mortem, meten-  
dum & colligendum est in agro do-  
mini cum famulis & amicis ipsius.

## C A P. I I I.

**P**ostquam autem reversa ad so-  
cram suam, audiuit ab ea, filia  
mi, quærā tibi requiem, & pro-  
uidebo ut bene tibi sit. Hebræi codices  
significantius legunt: nempe interro-  
gatione, sic: nónne quærā tibi requie?  
&c. Quibus verbis quanta sit eccl-  
esiæ pro filiis suis sollicitudo appa-  
ret, iuxta illud: *Quis infirmatur, &*  
*ego non infirmor? Quis scandaliza-*  
*tur, & ego non voro?* Et si enim pauci  
videtur ad se accepisse causam eccl-  
esiæ,

siae, ita vt capita ipsa, & moderatores  
propemodū peiores reliquis videan-  
tur, reliquit tamen sibi dominus se-  
ptem milia virorum, qui non curua-  
uere genua ante Baal: quorum par-  
tim authoritate, partim pietate & me-  
ritis nobis adhuc prospicit Deus.

*Filia mi , quærā tibi requiem , &*  
*prouidebo ut bene sit tibi. Booz iste, cuius*  
*puellis in agro iuncta es, propinquus noſter*  
*est , & hac nocte aream hordei ventilat.*  
*Lauare igitur & ungere, & induere cul-*  
*tioribus vestimentis, & descēde in aream.*  
*non te videat homo, donec esam potūque*  
*finierit. Quando autem ierit ad dormien-*  
*dum, nota locum in quo dormiat: venies-*  
*que & discooperies pallium quo operitur*  
*a parte pedum, & prouties te, & ibi iace-*  
*bis: ipse autē dicet tibi quid agere debeas.*  
*Quæ respondit: quicquid præceperis fa-*  
*ciam. Descenditque in aream: & fecit o-*

*mnia quæ sibi imperauerat socrus.*

Sunt qui vituperent Noemi, dampnentque nefarij consilij, quasi subornauerit nurum ad vetitum concubitum viri. Nam eò spectare specie ipsa videtur, quæ h̄c describuntur. Ego verò saluo iudicio saniore, prudenter fecisse illam existimo. Simile enim verò est, etiam si subornarit ad congressum viri, admonuisse, ut nō misceretur, priusquam ille fidem cōiugii dedisset: quam isto maritali complexu testaretur ratam esse & confirmatam. Nam nusquam veteris instrumenti legisse memini, ubi ad solemnitatem matrimonij per ecclesiam comprobandi, Iudei astringeretur, ad quam rediguntur Christiani, etiam si intelligentiam ceremonia semper vlos homines probos, qua viri & foeminæ coniuctū appareret coniugalem esse, nō me-

meretricium. Quæ cum ita sint, quid peccatum à muliere inope, & quæ palam principem populi, alioqui debentem, appetere coniugio non auſit, quòd clām ratione nusquam legē vetita coniugem quæſiuit? Proinde sentio toto hoc capite exprimi disciplinā, qua anima sibi Christum sum fieri studeat: impetrētque. Igitur aptè Booz, id est, Christum propinquum, siue vt Hebræi legunt, cognatum, Noëmi nominauit. Ipse enim os & caro de carne nostra, & frater noster est, qui nostram naturam sibi adiunxerit. Is nocte, id est, sub nocte, in fine huius seculi, in quem nos venisse Apostolus scribit, aream hordei <sup>1. Cor. 10.</sup> ventilat. Ita enim de ipso profatur Baptista Ioannes: ipse vos baptizabit <sup>Matth. 3.</sup> in spiritu sancto & igni: cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit

aream suam , & cōgregabit triticū in horreum suum, paleas autem comburēt igne inextinguibili. Ex quo enim cœpit ecclesia Christiana, non quiete turbulentī flatus ventorū, etiam subuertentes montes (vt est in libro 3. Reg. 19. Regum ) & conterentes petras : quibus probati sunt qui electi erant, & auolare compulsi qui erant paleæ. Seuiere primum tyranni crudeliter, sed stetere quos vera fixerat fides. Cūm autem cœpissent irrumpere hæresēn impetus, tum verum p. cor. 11. tuit quod Apostolus dixerat, Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt manifesti fiant. Oh quot nostra ètate (vt superiores non lugeamus) videbantur triticū esse electissimum, qui modico Lutheri flatu per inane dispersi sunt, & maximè ex iis, quòd, ne diffuerent, onerasse videbatur Dominus

minus ingenti munerum suorum abundantia, sed paleæ erant, ventus probauit. Cæterū mos hic fuit non Palestinorum modò, verum etiā omnium penè nationum, vt non antè fruges in horreū recondenterent, quam in agro prostritæ ac ventilatae essent. Vt enim segetes in vnum quempiam locum collecte erāt, boum calcibus protrebantur sedulò : post verò, contra quā afflaret ventus tritaram coniiciebant. Itaque raptis retrorsum paleis, merum linquebatur triticum, quod à terendo nomen acceptissime videtur. Triturationis huius nocte Christus epulum instruit mesoribus suis opiparum & nobile : ad quod nos accersens per prophetam: Omnes (inquit) sitientes, venite ad a- Ezech. 55. quas : & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Id epu-

*Znc.15.* lum est Euāgelium illud in quo propositus cōmuniſ est vitulus ſaginatilis, id eſt ſacratiſſimum Christi Iefu corpus in auguſtiſſimo Eucharistiæ ſacramento: vel plurimæ ſpirituales conſolatiōnes, quibus interiectis ſolet Deus dulcorare rigorem tentatiōnum, ſecundū quod ſcriptum eſt,  
*Pſal.93.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo cōſolationes tuæ lātificauerunt animam meam.  
*I Cor.1.* Et Apoſtoliſ dicit: Benedictus Deus & pater domini noſtri Iefu Christi, pater miſericordiarum & Deus totius cōſolationis, qui conſolatur noſ in omni tribulatione noſtra. Sicut enim abundant paſſiones Christi in nobiſ, ita per Christum abundat & conſolatiō noſtra. Ibi epulatur nobiſcum & exhilaratur dominus Christus, nimirūm lāetus de constantia & puritate

puritate amicorū ſuorum quos ven-  
 tus temptationis nequiuit transferre,  
 ſed tamē ſeparauit à malis, probauit  
 que dignos exiſtere, qui ad horreum  
 domini admitterentur. Explora a-  
 nima quō nam modo conciliies tibi  
 Christum, ita ut te ſponsam velit. La-  
 uare non tantū ſemel, ſed ſepties in  
*4.Reg.5.*  
*Iob.29.* Iordanis baptiſmate. Laua pedes  
 tuos, ſed butyro: id eſt affectus tuos  
 foedos, & quæ ex illis profecta ſunt,  
 æquè immunda opera, pinguitudine  
 ſacramētaliſ absorptionis, quā tibi ſa-  
 cerdos ſuppeditat ex ſucco vaccæ il-  
*Num.19.*  
 lius ruffe, quæ extra caſtra immolabā-  
 tur, ut ipſius cinere aqua aperſo ſan-  
 ctificarētur quotquot vllaſ immun-  
 diciam contraxiſſent. Laua manus  
*Pſal.15.*  
 tuas, ſed inter innocētes. Quid enim  
*Eſa.1.*  
 iam tibi cum noxiis quorum manus  
 ſanguine plenæ ſunt! Saluabitur in-

## C O M M E N T A R I A

## I N L I B . R V T H .

74

- Iob. 22.* nocēs (ait ille Iob) saluabitur autem in munditia manuum suarū. Faciem tuam laua, laua à malitia cor tuum: quia scriptum est. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicū regem. Hunc verò tu sponsū captas, ô anima. Denique laua totū corpus, quia polluta es tota: vt aspersa cor à conscientia mala, & abluta corpus aqua munda, teneas spei tuæ cōfessionem *Heb. 10.* indeclinabilem. Vngere, nō oleo isto corporali, qui molliciem arguit: aut oleo peccatoris: quo iustus refugit *Psal. 140.* impingari caput suum, hoc est adulatio[n]e: sed eo quod Sapiens esse dicit in domo iusti, & quod idem iubet *Eccles. 9.* de capite nō deficere: de quo & aliis propheta dicit in Psalmo: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lāetitiæ

lāetitiæ præ consortibus tuis, hoc est prōptitudine & alacritate animi, ad obediēdum domino. Quanquam & hoc oleum charitatē (interprete Augustino) significare potest, qua vngi animā necesse est, quæ placitura regisit, cuius sponsa esse desideret. Et induere cultioribus vestimentis. Cultura vestimenta (vt equidem opinor) pro mundioribus dixit. Cuius enim cultus alioquin singularis vestimenta habere potuit muliercula peregrina, & ita pauper, vt spicas colligat in alieno agro? Itaque tantundem est, ac si dixisset: Laua quoque vestimenta *Genes. 49.* tua, sed in sanguine vuæ quæ Christus est, Nam & ibi quadraginta quatuor millia signati, cum maxima illa turba quam dinumerare nemo potuit in Apocalypsi lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas: nimirūm in *Apoc. 7.*

K ii

## C O M M E N T A R I A .

*Esa. 1.**Psal. 44.*

sanguine agni. Alibi enim etiam si aqua videatur esse vbi lauantur, vestimenta rubra fiunt: in sanguine autem agni rubra dealbantur. Scriptum est enim: Quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærите iudiciū, subuenite opprepresso, iudicate pupillo, defendite viduā: & venite, arguite me, dicit dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinū, quasi nix dealbabuntur. Et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Ab hoc ornatu laudat propheta messiæ sponsam in Psalmo. Astitit (inquiens) regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate. Ne tamē crederemus cultum hunc ad corporis pertinere indumenta, paulo post addidit. Omnis gloria filiæ regis abintus, cum fimbriis aureis, circumamicita varietatibus. Reuera tum or-

na-

## I N L I B . R V T H . 67

natus sponsæ Christi ibi adhibendus est, vbi modò pulchra est, id est, in animo. Cùm enim intus sit anima, intus cultus adhibendus, intus color procurandus est. Sunt autē virtutes & opera Christiana animæ indumenta. Istis enim exornatur melius, quam corpus vestibus.

Descende in aream, id est, accede ad locum vbi epulum celebratur, sed clam omnibus. Non enim te videat homo quisquam, donec (*Booz*) esum potumque finierit: non amat ille iactabundas sed humiles, & quæ se abscondunt ne pareant. Quam enim *Luc. 1.* sponsa voluit matrem facere, inquiri iussit in cubiculo clausam & orantem: & quorum voluit accipere preces, secretò orare iussit, sic mādās: Cùm oraueris, intra in cubiculum *Matt. 16.* tuum, & clauso ostio ora patrē tuum

K iii

in abscondito : & pater tuus qui vi-  
Matth. 6. det in abscondito, reddet tibi. Et, At-  
tendite ne faciatis iustitiam vestram  
coram hominibus, ut videamini ab eis.

*Quando autem ierit ad dormiendum,*  
*nota locum in quo dormiat.* Cūm au-  
dis dormire Christum, memēto eius  
quod de ipso scriptum est: Ego dor-  
mio, & cor meum vigilat. In pace au-  
tē factus est locus eius, Et in pace in  
id ipsum dormit & requiescit. Vide  
3. Reg. 19. ergo ut quieta & pacifica sis: quia nō  
in cōmotione dominus. Veniesque  
& discooperies pallium quo operi-  
tur à parte pedum, & proiicies te, &  
ibi iacebis. Non discooperies (in quā)  
à parte capitis: id enim superbæ arro-  
gantisque esset, quæ antequam voca-  
ta accederet, & auderet se æquipara-  
re domino. Adde quòd nemo caput  
Christi discooperire potest, id est di-  
uinitatem

uinitatem eius pernoscere. Genera-  
tionem enim eius quis enarrabit? Aut  
quis cognouit sensu domini, & quis <sup>Esa. 53.</sup>  
consiliarius eius fuit? Quæ Dei sunt,  
<sup>Roma. II.</sup> <sub>I. Corin. 2.</sub> nemo cogouit, nisi spiritus Dei: Ita-  
que discooperies pallium à parte pe-  
dum, id est cōtenta eris nosse initio,  
quòd pedes habet, id est cū esset Dei,  
humanitatem assumpli: ibi proiicies  
te quām humillimè, & secus pedes il-  
los iacebis, vbi Magdalena sedens & <sup>Luc. 10.</sup>  
discens excusata est. Si quid volet te  
amplius discere & agere, dicet tibi  
sensim quid agere debeas. Cūm vo-  
luerit, eriget te ad caput cognoscen-  
dum & tractandum. Solet ita euehe-  
re humiles. Tantum prudens & cau-  
ta esto.

Cūmque comedisset Booz, & bibisset,  
& factus esset hilior, iſetque ad dor-  
miendum iuxta aceruum manipulorum,

(vel, vt est Hebraicé, in summitate acerui) venit absconditè, & discooperto pallio à pedibus eius, se proiecit. Facit obediens anima quod prudens mater iubet Ecclesia. Cæterū quod Booz dormire dicitur iuxta aceruū (puto additum fuisse manipulorum) vel in summitate acerui, significat beatitudinem & gloriam Christi. Ipse enim nunc exacto patiendi tempore, vtraque natura glorificatus est, & dormit summa quiete super aceruum bonorum, quæ nobis ipse promeruit. Ibi quiescere ac dormire nos quoque oportet, nec antè: quandoquidem antequam aceruus bonorum operum à nobis perfectus sit, semper vigilandū est, vt paulatim surgat & augeatur.

*Et ecce nocte iam media expansit homo & conturbatus est, viditque mulierem iacentē ad pedes suos: & ait illi: Quæ es? No-*

es? Noctem dicit totum id tempus, quo omnia molitur ac tentat anima, vt gratiā Christi ineat, siátque sponsa ipsius: quod quidem tempus aptè noctis nominatur ob metū, qui comes nocturnarum tenebrarum esse solet. Res enim est solliciti plena timoris amor. Nec officit quod scriptum est, Charitas forasmittit timorē. De timo <sup>1. Joan. 4.</sup> re enim illo loquitur, de quo Poëta. Oderūt peccare malī formidine pœnæ. Et aliis, odit qui metuit. Est alterum timendi genus, de quo prophe-ta: Timor domini initium sapientiæ. <sup>psal. 110.</sup> Et qui timet Deum, faciet bona. Ti-moris huius nocte iam media (nam nunquam expetat finem operis nostri, ille qui filio reuertenti antequam <sup>Prov. 1.</sup> <sup>Eccles. 5.</sup> <sup>Inc. 15.</sup> domum attigisset, occurrit, & sermonem osculo amplexúque occupauit, ne totā, quod instituerat oratio-

nem ad patrem haberet) excitatus est  
 & nos percōtatur. Scit enim nullam  
 fore perfectionem operis nostri ab-  
 que suo occursu, imò concursu: quia  
 fine ipso (vt nos admonuit) nihil age-  
 re possumus. Quod expauit, admiratio-  
 nis cuiusdam plena est commen-  
 datio sollicitudinis nostræ: qualis est  
 illa de angelo Smyrnæ Ecclesiæ, qui  
 dicit primus & nouissimus, qui fuit  
 mortuus & viuit. Scio tribulationem  
 tuam, & paupertatē tuam. &c. Nihil  
 horum timeas quæ passurus es. In eo  
 quod sequitur: Et cōturbatus est, in-  
 terpretes mire variant, tum veteres,  
 tum recentes. Alii legunt, Et tenuit,  
 siue amplexatus, aut etiam contrecta-  
 uit: alii, versus est de latere in latus:  
 reliqui cōtraxit se quomodo solent  
 qui inopinatò per tenebras aliquid  
 contingunt. Omnia verò congruunt  
 myste-

mysterio. Amplexatur amicissimè,  
 contrectatque & demulcet dominus  
 se quærentes, vel (teste Euangelico a-  
 colasto) vertitur de latere iustitiæ siue  
 iracundiæ, qua iustè aduersum nos  
 mouebatur, in latus misericordiæ. In-  
 terdum etiā contrahit se, non vt pror  
 sus abeat, sed vt irritet ad querēdum,  
 quomodo sponsæ in Canticis fecisse  
 legitur sponsus. De quo sic inter cæ-  
 tera sponsa loquitur. Pessulum ostii Cant. 3.  
 mei aperui dilecto meo (videlicet  
 pulsanti) at ille declinauerat, atq; trā-  
 sierat. Anima mea liquefacta est, vt di-  
 lect⁹ loquutus est: quæsiui & nō inue-  
 ni illū. Quibus verbis indicatur erga  
 animā fieri à Deo quod mox sequi-  
 tur. Et ait illi. Quæ es? Id enim est pul-  
 sare ad ostium, Rogare qui sumus, &  
 quid agamus. Maximè enim prodest  
 quærentibus Deum, frequenter in se-

ipsoſ redire, & humiliter animaduertere qui ipſi ſint. Humilitatem enim respicit Deus.

*Illaque reſpođit, Ego ſum ancilla tua: expande pallium ſuper famulam tuam, quia propinquus es.* Sunt qui affirmant id moris Hebræos habuisse, vt qui virginem aliámve fœminam cuperet vxorem, pallio ſuo ipſam cōtegeret: ſiue quòd illi cauſa eſſet amittendi pudoris: ſiue quòd hoc ſigno indicaret ſe protecturū aduersus quoscunque, ſi qui forte afflicturi contra ipſam inſurgerent. Magis placet prior ratio, quæ alludere ad nubendi verbum videtur, quod obtēgere ſignificat: videlicet, ne id quod à coniugibus fit, etiam ſi per ſe malum non eſt, tanquam indecorum ſpectātes offendat. Apud Plutarchum lego in Bœotia ſolitum eſſe ſpōſas obiectas aſparagine

ragine coronari: vt ſicut exasperri- ma ſpina ea fructum fundit, ſic noua nupta primam asperitatem difficultatē inque ſuam non defugienti, nec indignanti marito, vrbana iucundamque vitæ ſocietatem präſtet. Et apud Romanos, nouarū nuptarum flammeo obuoluebātur capita, quòd priſci dixerūt obnubere. Aliis placet quòd his verbis Ruth ad cōcubitum Booz inuitarit, tāquam dixerit. Cūm propinquus ſis, & poſſis me tibi coniugem facere: cur nō incipis me thori facere conſortem? Is etiā nō uſque adeò alienum eſt, non poſſum tamen probare, qui didicerim ex hoc libro quanta virtus Booz & Moabitidis huius, tum ex continentia, tum ex aliis rebus laus apud Bethlēhemitas fuerit. Nec mihi verò ſimile eſt mulierem alioquin pudicam, ita imme-

morem fuisse pudoris, vt vel coitum  
rogare sit ausa . Proinde (ni ipse fal-  
lor dum cæteros falsi arguo ) nec  
obnubi sponsarum more, vtpote no-  
cte obscura, petiuit in fidem sponsa-  
lium, nec aperte cōgressum expetijt:  
sed tantū indicauit se cupere, vt er-  
ga ipsam iure vteretur propinquita-  
tis: quod vel tunc non solum concu-  
bitu, imò verò magis data verbis fide  
facere poterat. Id quod Hebraica lit-  
tera videtur vtcumque innuere, quæ  
non pallium, sed alam habet: quæ  
in scriptura protectionem signifi-  
cat: & nomen propinqui h̄ic posi-  
tum Goel Hebræis, vindicem quo-  
que & sanguinis vltorem significat.  
Habent interim mysticum sensum  
hæc verba . Nam nec nudā animam  
sibi despontat Christus, nec suis ami-  
ctam indumentis: sed ipse pallio suo  
contegit.

cōtegit. Non nudam accipit, sed or-  
natam, sicut scriptum est : Audi filia  
& vide, & inclina aurem tuam, & o-  
bliuiscere populum tuū , & domum  
patris tui, & cōcupiscet rex decorum  
tuum. Nec suis amictā vestibus, quas  
per murorum custodes auferri man-  
dauit , iuxta illud , quod in Canticis  
Salomonis ipse testatur: Inuenerūt  
me custodes, qui circuierunt ciuita-  
tem: percusserunt me, & vulneraue-  
runt me: tulerunt pallium meum mi-  
hi custodes murorum. Custodes isti  
præfecti sunt ecclesiæ, qui sedulò ci-  
uitatem circumeūt, ne per incuriam  
suam hostis irrumpat, obuiósque ci-  
ues gladio spiritus monendo obiur-  
gandóque percutiunt interim tam  
fortiter, vt vsque ad animam deliciis  
indormientem & sopitam infigatur  
vulnus. Tūmque vbi illa sensit per-

<sup>pSal.44.</sup><sup>Cant.5.</sup>

*cusserā, agnoscit se, prosternit se custodum pedibus, culpas humiliter cōfitendo, sicque sordidis indumentis exuitur, id est, vetere homine cum actibus suis.* Huius figura in captura *Deute. 21.* præcessit, quam Hebræis, priùs circumcisus illius vnguis rasaque Cesarie, atque captiuitatis veste deposita, vxorem ducere poterat.

*Est autē pallium Christi, quo sponsa anima oboluenda est, charitas, si ne qua nec tutò, nec bene, nec denique honestè, quietura sit, imò nec placitura sposo.* Fortasse ipse sponsus *Matth. 5.* de illo pallio ita præscripsit: Si quis vult tecum iudicio contedere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Nam is est ipse, qui ad tribunal conscientiarum nostrarum nos prouocat, & nobiscum expostulat de tunica, interiore illa animæ veste, quæ cogita-

cogitationibus cōtexta est: quámque ille sibi velut iure debitam reddi exigit: quia scriptū est: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agēt tibi. Cui nos pallium charitatis externæ, id est opera, quibus exercetur, offerre debe mus, potiùs quām excidamus causam: quia proculdubio ille nos vinceret. Sed quī congruit ( dicat quispiam) vt nos pallium demus Christo, à quo petimus: imò verò, ideo petimus prius, vt postea demus? Nam nunquā daremus nisi ille prior nobis dedisset potentibus. Quid enim habes ( clamat Apostolus) quod non accepisti? <sup>I. Cor. 4.</sup> Et ipse ( ait idem ) operatur in nobis <sup>philip. 2.</sup> velle & perficere pro bona volūtate. vel pallio significatur protectio diuina, quæ nos ab iniuriis æstus & frigoris tuetur. Quicquid sibi pallium

*ez.5.* velit dicamus confidenter : Expande domine pallium super famulos tuos, quia propinquus es . Os enim nostrū, & frater noster es. Imò os de os-  
sibus nostris, & caro de carne nostra. Iam nemo carnem suam vñquam odio habuit, sed nutrit & fouet eam.

*Et ille: Benedicta (inquit) es à domino filia, & priorem misericordiam posteriores resuperasti : quia non es sequuta iuuenes, pauperes, sine diuitiis. Quis iam ausit dicere Ruth coitū Booz superioribus verbis quæsiisse , pudore vel tātis per violato : quando ex præsenti opere benedicta à Domino dicitur : nimis rūm ob rem'vetitā nemo à Domino benedicitur. Tantūm igitur (vt superiūs dixisse memini ) isto discubitu ad pedes Booz, & pallii petitione, in-  
dicauit se pauperū more, diuitis pro-  
pinqui connubium petere. Porrò mi-  
sericordiæ*

misericordiæ prioris nomine, sunt qui charitatem piūmque affectum interpretantur, qua illa vfa est erga virum dum vixit: posteriorē, qua post ipsius mortem , suscitando semen, & apud posteros nomen defuncti propagando. Est autē misericordia posterior, id est, quæ erga defunctos fit, priore maior . Quādoquidē mortui seipso iam nequeūt iuuare , cùm viui haud ita prohibiti sint. Quæ expositio, si ( vt est) vera est, quantomagis placet Deo misericordia qua fideles pij erga defunctos vtūtur, orātes pro ipsis, orarique procurantes, & sacrificium sacrosanctum altaris offerri, aliisque pluribus modis releuari? An non maius officiū est, si eximas cruciatibus, quam si nomen posteritati commen- des ? Cur itaque aduersus hanc Christianorum charitatem oblatrant hæ-

retici? Arridet admodum pia hæc interpretatio, sed vt nō vetus quod sentio, idque meo iudicio recte, adferre: ita videtur mihi scriptura hoc loco simpliciter pietatem & probitatem significare, qua Ruth vsa sit prius cū socrus, ipsi obsequendo, velut filia sollet naturali matri: & nunc vtitur pentendo coniugio, non intemperie libidinis superata, sed prolis amore, quam educet legis ritu, instituatque ad pietatem. Certè capite secundo dixerat Booz ad ipsā: Nuntiata sunt mihi quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui, & nūc benedictionis adfert causam, quod non velut puellæ incontinentes & coitus appetetia viæ solent, cuiuslibet adolescētis coniugium ambiuerit, sed legitimū modō: ita vt vel seni locari delegerit, à quo non tantum captura sit genialis

sup. 2. c.

yo.

voluptatis. Continet autem hæc litera mysteriū. Commēdatur enim secretò anima Christiana, quæ colligēdo tantum didicit, vt sciret tandem quem sponsum esset potissimum petitura: non iuuenes quidem, sed antiquum illum dierū, de quo Daniēl Daniel. 7. propheta: id est, nō hæreticos qui recenter emersere, aut alios quosuis. Omnes enim sunt sensu paruuli, vt 1. cor. 14. de talibus testatur Apostolus. Quod addidit, siue pauperes, siue diuites, innuit omnes esse cauendos, siue qui opum suarum nos allicerent imparitione: siue qui non ita abundantes verbis nos seducerēt. Nā ab huiusmodi, tū diuitibus, tū pauperibus pluri-mi decepti descivierūt à Christo, de-sciscuntq; hodie. Quāquā nō reiicio aliorū expositionē, qui diuitū nomine interpretantur doctos facundos.

L iii

que hæreticos, pauperum reliquos.

*Noli ergo metuere, sed quicquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus meus, qui habitat intra portas urbis mee, mulierem te esse virtutis.* Et hæc quoque iuuant ad abrogandam impudicitæ suspicionem Ruth, quā ob honestam iustumque petitionem iubet metu vacuam esse, id est, non hoc tantum quod petiit, sed quicquid ipsa vñquam æquum putauerit tota ptere fiducia. Nam quicquid, ait, dixeris, id est rogaueris, faciam tibi, etiam quod nunc petiisti, si modò per le gem nostram liberum fuerit. Neque te velim vereri, vt me pudeat diuitem iungi mulieri inopi modò probæ ac pudicæ: qualem te omnes mei ciues affirmant esse, & proinde veneratur & amant. Ego diuitias nō specto, sed virtutem: vnde vera nobilitas manat.

Hinc

Hinc magna Dei æquitas clā innuitur: qui personas ob diuitias cæterave alia, quibus homines sibi magni videtur, non accipiat: sed pias tātū ac bonas. Diuitum, regūmque, & tribunorum, & fortium carnes auibus <sup>Apoc. 19.</sup> cœli dabit iudex Christus deuorandas, vt pronunciat apostolus Ioánes: ob id tantum quia boni non fuerint. Et aliis proclamat, Diuitiæ non pro-<sup>Prover. II.</sup> derunt in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte. Illud quoque legimus ex hoc loco probari Deo, quod sui ab omnibus bene audiāt. Etenim hæc Dei esse volūtatē testis est diuus Petrus, vt benefaciētes obmutescere <sup>1. Pet. 2.</sup> faciamus imprudentū hominū ignorantiam, & conuersationē inter gentes habere bonam: vt in eo quod anteā detrectauerant de nobis tāquam de malefactoribus: econtrariò ex bo-

L ivi

nis operibus nos considerantes, benedicant Deum.

*Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior.* Genus sanguinéme nostrū, cuius ipse particeps factus est, allegātibus, Christus haud abnegat: sed ait non sufficere id ad salutē.

*Matth. 20.* Duobus consanguineis aliquādo dixit: Sedere ad dextram meam aut sinistram non est meum dare vobis. Et

*Matth. 12.* dicenti: Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te alloqui, respondit: Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Et extendēs manum in discipulos suos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror & mater est. Proinde quærenti animæ Christum sibi sponsum iungi, impri-  
mis cauendū ne quis eo sit propin-  
quior.

quior. Ipse enim ab omnibus quidē amari vult, summo illo spōsi amore, nec admittit corriualem: quāquam citra ylliū iniuriam omnes amplexatur & amat. At quis, aīs, propinquior illo esse potest, qui coniugio intercedat? Adam homo de terra ter- *1. Corin. 5.*  
renus: animalis homo qui non percipit quę sunt spiritus dei, corpus mortis huius: Caro quæ cōcupiscit aduersus spiritum. Hic homo (*inquam*) in *Galat. 5.* multis propinquior est animę quām Christus: quia in multorum mortali corpore peccatum regnat: ita vt obedient concupiscentiis eius. Infelix *Roma. 7.* ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Quis hūc propinquum, quem non mihi licet interimere, ita domabit, vt iam nolit sponsus esse? felix prudēnsque ille est qui cum Apostolo dicere potest, Castigo *1. Cor. 9.*

corpus meum & in seruitutem redigo, ne reprobus inueniar. Propinquus hic miser & incanus futuri, dum sibi vult Ruth hereditatem vendicare, se & ipsam perdit.

*Quiesce hac nocte: & facto mane, si te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta est. Sin autem ille noluerit, ego te absque villa dubitatione suscipiam, viuit dominus. Dormi usque mane. Dormi uit itaque ad pedes eius usque ad noctis abscessum.* Vel ex hac litera innoscit clarissimè continētia Booz. Cæterū quod dixit: *Quiesce hac nocte, tantundem valet ut si dixisset: præstolare parumper, & ne puta me diu prolaturum quod spondeo, ubi primū diluxerit, leuabo te hac cura. Resciscam enim utrum ille, quo uno excepto, fidem matrimonij etiam præsentē darem, yti erga te iure propinquitatis*

quitatis velit, vxorēmque ducere. Quod si acquieuerit, bene res, quam petis, acta erit. Quippe nups eris propinquus, qui posteritatem suscitabit viro tuo defuncto. Si te recusarit, ego te accipiam, viuit dominus. Dormi quod superest noctis. Nec plus collo quijs ultro citróque factum est, ut intelligamus neutrius affectum libidinosum fuisse. Quærenda mysteria. Quid sibi vult illud quod animæ quærenti dominum sponsum, is respōdet: *Quiesce ac dormi hac nocte. Quæ quies animæ absque Christo esse potest, præsertim incertæ utrum dignaturus sit sponsæ honore?* Ergo quiesce & dormi hac nocte, dictum est pro cōfide, ne desperas: tantum da operam ut nemo sit tibi quām ego propinquior. Mane autē factō, id est detecta planè & declarata opere ma-

nifestario volūtatis erga me tuæ constantia, quódque prorsus omni alio posthabito, me cupias sponsum: tentabitur castigatione aliqua propinquus ille vetus homo, vt sciamus nūquid repugnaturus cōtumaciter sit: calcitrabit quidem semper, sed modo, ne vt dominus imperet, nō omittam te accipere. Sin autem vincat, virtuus esto: ego te sponsam habere non potero, anima. Sed nunquid si infelix ille propinquus vicerit, sibique misericordem animulā adligauerit nefario cōiugio, bene res acta erit? Quorsum igitur hæc dicūtur? Quod attinet ad mysticum intellectū, ironia est. Dormiat igitur interim anima ad Christi pedes usque ad noctis abscessum, id est expectet iuxta propheticum verbum salutare Dei in silentio. Bonum quippe est præstolari cum silentio salutare

salutare Dei. Et Esaias dicit: Si reuer- <sup>Esa.3.</sup>  
tamenti & quiescatis, salui eritis. In si-  
lētio, & in spe erit fortitudo vestra.

Surrexit itaque antequam homines se agnoscerent mutuò, eō dixit Booz. Causa ne quis nouerit quod huc veneris. Cūm li-  
tera sit per se manifesta, recurrēdum ad mysteria. Agnoscūt se mutuò ho-  
mines, cūm interior exteriori cōsen-  
tit, & initur exitiabile ipsorū fœdus  
aduersus spiritū. Ante anima surgat  
necessa est, quām detestanda ista con-  
cordia cœperit, aut saltē cōfirmetur,  
si modò Christū spōsum desiderat.  
Scriptum enim est: Carnis curam ne <sup>Rom.13.</sup>  
feceritis in desideriis. Et non regnet <sup>Rom.6.</sup>  
peccatum in vestro mortali corpore:  
vt obediatis concupiscentiis eius, sed  
neque exhibeatis membra vestra ar-  
ma iniquitatis peccato. Quod sequi-  
tur: Cauē ne quis nouerit quod huc

- veneris videtur habere hūc sensum:  
*Matth. 6.* Nesciat sinistra tua quid faciat dexte-  
 ra tua, vt sit elemosina tua in abscondito: Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Quibus verbis non  
 tam iubentur absconditi opera nostra  
 quam intentionem: alioquin non di-  
*Matth. 5.* xisset alibi: Luceat lux vestra coram  
 hominibus, vt videant opera vestra  
 bona, & glorificant patrem vestrum  
 qui est in cœlis.

*Et rursum: Expande, inquit, pallium  
 tuum quo operuis, & tene utraque ma-  
 nu. Quia extende & tenete, mensus  
 est sex modios hordei, & posuit super eā.  
 Quæ portans ingressa est ciuitatem, & ve-  
 nit ad socrum suam.* Dudum diximus  
 pallium animę, veterem exteriorē  
 ve hominem esse, qui interiorē (qui  
 propriè homo est) contegit. Id iussu  
 domini expandendum venit. Porro  
 expan-

expanditur cùm variis temptationibus  
 exponitur. Nam collectum esse quo-  
 dāmodo videtur, cùm votis potitur:  
 dispersum cum omni officiorum ge-  
 nere agendo, patiendōque cogitur  
 spiritui seruire. Verūtamen cùm ex-  
 panditur, utraque tenendum est ma-  
 nu dextra leuāque. Malignus est ve-  
 tus Adā noster: cùm cogitur seruire,  
 aut calcitat, aut deficit. Ibi utraque  
 opus est manu dextra, quæ cōpescat  
 calcitrātem: leua, quæ sustineat colla-  
 bēte. Quippe ita moderāda corporis  
 huius subiectio est, vt nec rebellet,  
 nec frāgatur, vt enim delicate nutritio,  
 ita interficere vetamur. Si expanda-  
 tur, teneatur ambabus manibus. Ca-  
 pit sex modios hordei. Sacramēta ma-  
 xima sunt, tum in materia, cū in nu-  
 mero. Materia hordeū, numerus est  
 senarius. hordeū, quod genus frumē

ti est crassum, spicosum, hāudque ita ad vescendum suaue, pœnitentiā denotat: quæ quòd aspera sit, & velut bellum carni inferat, grauis plerisque & intolerabilis videtur. Senariū verò numerum literæ sacræ cōmendant, quòd is mensura sit diuinæ molitionis, id est creationis mundi huius: quòd sexto die conditorum nobilissimū homo plasmatus sit ex luto, quòd lapsorū mortaliū relevandi gratia, Filius Dei, sexto mēse quām diuus Ioannes Baptista cōceptus est, & ipse opera diuini spiritus in virginis immaculatæ vtero humanam naturam induerit: quòd in Samariam appulsus hora sexta lassus, supérque fontem Iacob sedens, mulierculā Samaritanā edocuerit. Denique quòd die hebdomadis sexta, hora itē eius diei sexta, pro nobis mortuus sit. Perfectum

*Gene. 1.**I Luc. 1.**Ioan. 4.**Ioan. 19.*

fectum autem esse suæ partes usque adeo confirmant, vt teste diuo Augustino, facilius sit cœlū & terrā transire: quæ secundū senariū numerum fabricata sunt, quām effici posse vt senarius numerus suis partibus non compleatur. Quamobrem (ait ille) non possumus dicere propterea senarium numerum idem perfectum: quia sex diebus perfecit Deus omnia opera sua. Sed propterea sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque etiam si ista non essent, perfectus ille esset: nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent. Quin verò senarii partes quibus componitur, sunt vñū, duo tria: quæ in summā collecta sex efficiunt. Cæterū & ipsa mysticam habent significationem, quæ naturalem senarii perfectionem

adaugent. Primo enim tempore (ait venerabilis Beda) sub lege naturæ, ve  
luti in quadam vnitate sancti patres  
Deo seruiebant. Secundo tempore,  
lex addita est ad naturā, vt quod ma-  
la consuetudo vitiauit in natura, lex  
reformaret in litera: & fuerunt duo,  
natura, & Lex. Tertio autē tempore,  
venit gratia cœlestis per Iesum Chri-  
stū: & sunt tria: natura, lex & gratia.  
Ergo capit vetus homo noster, qui  
(vt diximus) animæ pallium est, sex  
hordei modios, cùm perfectam deo-  
que acceptam pœnitentiam agit, id  
est (vt Baptista contionabatur) fru-  
ctum pœnitentiæ dignum facit. Hoc  
pœnitentiæ fasce onusta anima ad Ec-  
clesiam reddit, matri deinceps recon-  
cilianda, & communionē fructuum  
suorum factura fidelibus: de qua di-  
ximus pauloante. Nam etsi non con-  
tinuò

tinuò cùm crimen siue mortale pec-  
catū admisimus, extra Ecclesię proii-  
ciamur communionem, sed partem  
adhuc aliquantulam habeamus pre-  
cum suffragiorūmque matris Eccle-  
się, nec interdicti simus sacramen-  
torum participatione, aut conuietu  
fidelium. At quia gratiam amisimus,  
quę verissimum est fidelium vinculum  
& perfecta vnio, partē illam nō acci-  
pimus, quā qui charitatē seruauere,  
acciūt: facilius enim nobis Deus il-  
lis fratrum nostrorum bona merita  
communicat, cū sibi placemus, quām  
cùm indigni sumus & exosi propter  
peccatum.

*Quæ dixit ei: Quid egisti filia? Narra-  
uitque ei omnia quæ sibi fecisset homo, e-  
git. Ecce sex modios hordei dedit mihi:  
Et ait: Nolo te vacuā reuerti ad socrum  
tuam. Dixitque Noemi. Expecta filia do-*

## C O M M E N T A R I A

I o r n . 9 .

*nec videamus quem res exitū habeat. Neque enim cessabit homo, nisi compleuerit quod locutus est.* Cūm hæc lego subit memoria ceci illius Euāgelici, quem, cūm illuminatus fuisse per Christū, interrogabant tam sedulò vicini, & qui prius illum nouerant. Et profecto vterque eius, boni quòd ad pœnitentiam, consequitur, significationē habuit. Ruth, inquā, & Sidonius, vel Cedonius, nam ita lego vocitatū cæcum illum Euangelicum. Qui enim verè recteque resipiscit, is nouam acquirit diuinarum rerum cognitionē, tum domino familiarior euadit, postremò & aliis exemplo est pœnitendi: quod clam indicatur percōtatione Noëmi rogantis: Quid egisti filia? Quòd addit Ruth: Ecce sex modios hordei dedit mihi, significat pœnitēdi quoque beneficium à Deo peccatoribus

I N L I B . R V T H . 83

toribus dari: vt qui nō sint sufficien- 2. Corin. 3.  
tes aliquid cogitare à seipsis quasi ex  
seipsis. Illud autem. Nolo te vacuam  
reuerti ad socrum tuā, magnum con-  
tinet sacramentum. Quod est illud:  
Indiget illa? An auara est? An potius  
more benehabētis familiæ omnes o-  
portet congerere, & neminem venire  
asymbolum? Ecclesia non indiget,  
quæ thesauris sponsi sui ditata est.  
Non est auara, quæ omnibus filiis di-  
uitias suas impartit, modò illi digni  
sint, qui accipiāt. Vult autem amāt-  
que filios qui morigeri sunt, quique  
conferant in v̄sus communes. Et id est  
quod dominus hoc loco intēdit: No-  
lo (iniquiens) te vacuam reuerti ad  
socrum tuam. Quid hīc respōdeant  
Lutherani quorum dicterium est, o-  
pera hominis quamlibet Christiani  
mala sunt? Cuius opera necessario

M iii

sunt mala, quomodo onustus hordeo redibit ad socrū? Quid inquam boni referet ad matrē Ecclesiā? Quæ denique sanctorum cōmunio? Sin in fide tantū communionē esse dicant. Ergo nulla erit, aut erit paucissimorū: quādo vix triū ex ipsis consensus est in suis articulis. Ergo falsi sunt. Magnum commodum ad ecclesiam adfert pœnitentia filiorum. Cum rediisset Asotus ille euāgelicus, pœnitēdi selectum exemplum, pater epulū familiae parat, & symphoniam & chorū, vt taceā quæ pœnitēti sunt filio donata vsque ad fratrīs inuidiā: adeò non rediit vacuus, qui rediit famelicus & nudus. Sed quid sibi vult illud: Expecta filia dōnec videamus quem res exitū habeat? Nunquid videri potest pœnitētiæ exitus? Nunquid (inquam) quisquam certus esse potest

potest se acceptū esse gratūmq; deo: sibi condonata esse peccata, & animę suę sponsum deum se habere? Cur *Eccle.9.* igitur scriptum est, nemo scit vtrum amore an odio dignus sit? aut cur *Apostolus* dixit: Nihil mihi conscientius *1.Corin.4.* sum, sed non in hoc iustificatus sum? Quicquid rogetur illud verum est: si *2.Timo.2.* delis est Deus, seipsum negare nō potest. Et quod ipse dominus dicit in *Apocalypsi* ad angelū Laodiceę: Emulare, & pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici & cōsedi cum patre meo in throno eius. Nonne, id est adferre ad matrem sex hordei mensuras? Igitur expectare hoc loco idem est, at-

que fiduciam habere, & bene sperare de diuina clementia & humanitate singulari. Confirmat penitendi meritum quod mox sequitur: nō cessabit homo nisi compleuerit quod locutus est: cōfirmat & fidem nostram quæ de diuinis est promissis. Non enim est Deus, vt homo, vt mentiatur.

*Rom. 4.*

Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptū est. Cæterū congruunt hæc verba Euangeliō, vbi dicitur: Coelum & terra trāfibunt, verba autem mea non præteribunt.

*Eze. 21.*

## C A P .    I I I I .

**A** Scendit ergo Booz ad portam, & sedet ibi. Booz facturus dictis fidem, portā adit ciuitatis, vbi solebant olim iudices

iudices causas audire, jūsque omnibus petētibus dicere: ex domini præscripto, quantum colligi potest ex ipsius verbis in Deuteronomio sic iubentis: Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum, & dixerit: Vxorem hanc accepi, & ingressus eam non inueni virginē: tollent eam pater & mater eius, & ferrent secum signa virginitatis eius ad seniores vobis, qui in porta sunt. &c. Ut autē regemus mysticos huius capititis sensus, qui videntur ad dominicam incarnationem pertinere. Virgo sacerdima Maria est porta hæc, de qua testibus sanctis interpretibüs intelligitur illud Ezechielis: Porta hæc clausa erit. Non aperietur, & vir nō transiet per eam: quoniā dominus Deus

*Eze. 44.*

Israel ingressus est per eam , eritque clausa principi . Princeps ipse sedebit in ea. Itemque id psalmi : Diligit dominus portas Syon super omnia tabernacula Iacob . Quibus assensa ecclesia de ipsa canit: Tu regis alti ianua , & porta lucis fulgida. Ad hanc ascendit Christus cōceptionis ipsius momento, illam protegens ab originalis peccati communi cæteris mortalibus iniuria, gratiāque sua exornās ac replens: per quam in ea sedet quoad tempus esset cum propinquo disserendi de futuro ipsius & humanæ naturæ connubio : quod intra virginis vterum parabatur celebrandum.

Cūmque vidisset propinquū præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eū: Declina paulisper, & sede hic, vocans eū nomine suo . Qui diuertit & sedet. Propinqui nomine significantur hoc lo-

eo Moses & prophetæ , & quotquot ex Iudæorum gente ob sanctimoniam & miraculorum gloriā poterat messias credi & existimari . Præteribant omnes absque coniugij huius mentione, quos declinare paulisper ius sit dominus, & sedere, vocas illos nomine suo, id est, admonēs Iudaici nominis acceptāque legis in deserto, & oraculorum propheticorum . Diuerterūt ex ipsis aliquot & federūt, scrutantes scripturas sanctas , & prophetarum de messia vaticinia . Præteribat ille primò , deinde diuertit ac sedet ad portam rectè iudicans, qui in Euā gelio rogatus quis esset, confessus, est & non negauit . Et confessus est, quia non sum ego Christus . Et iterum ad discipulos: Nō potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo . Ipsi vos mihi testimonium per-

*Exod. 14.* hibetis quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet spōsam, sponsus est: Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Sic & Moses ipse pri-  
mus præteriit, qui dicebat: Mitte obsecro domine quem missurus es, tan-tum non dicens, Alius huic sponsæ decretus est sponsus, hunc mitte.

*Tollens autem Booz decem viros de senioribus ciuitatis, dixit ad eos, Sedete hic. Quibus residentibus loquutus est ad propinquū. Partem agri fratris nostri Eli melech vendit Noemi, quæ reuersa est de regione Moabitide. Quod audire te volui, et tibi dicere coram cunctis sedentibus, et maioribus natu de populo meo. Si vis possidere iure propinquitatis, eme et poside. Sin autem displices tibi hoc ip-*

*sum*

sum, indica mihi ut sciā quid facere debam. Nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es: & me, qui secundus sum. At ille respondit. Ego agrum emam. Cui dixit Booz. Quanto emeris agrū de manu mulieris, Ruth quoque Moabitide, que vxor defuncti fuit debes accipere, ut suscites nomē propinqui tui in hereditate sua.

Cauet Booz prudēter omnibus modis, ut quod erat facturus calumniæ, haud pateret, cui subderetur, si omisfa solemnitate hac, Ruth accepisset vxore. Nam aut putaretur illa scortum, alioqui verius quam coniux legitima, aut Booz occupasse matrimonium amore predij venalis. Cæterum lege Mosis cautum fuit, ut agros venundatos propinqui redimerent, aut veno expositos primi emerent. Et ne quis hic hercat, quod Elimelech pre-dium non potuerit vendi à Noëmi,

*Leuit. 25.*

quæ tantum dotaria fuerit: illud aduertendum, quod viri facultatibus absque liberis vita defungentis vxor per propriam modo vitam succedebat: ita ut ipsarum usum posset vendere. Quanquam mirum videri possit, cur si tantum usus non fundus vendebatur, cogeretur qui emisset, Ruth vxorem accipere. Nam non videtur æquum, ut qui usum tantum agri emisset, idque modo usque ad iubilæi annum, qui fortassis impederet, compelleretur eius ducere viduam, cuius predium emisset. Propter quod sunt qui dicant Noëmi proprium fuisse agrum illum, dictum autem Elimelech recepto more, quo vel vxorum bona maritorum esse dicuntur. At si ita fuit, propinquai Noëmi, qui ex alia fuere inde familia, emere debuerunt, non cognati Elimelech. Vt cùque sit, illud saltem

tem deprehēdimus, nonnulla obseruāda fuisse Iudæis, quæ in lege disertè scripta non fuerat. Nam nusquam scriptū inuenias alibi cogi illū qui agrū emisset, ut vxorē sibi duceret viduam, propinqui mortui. Cur proinde negant Lutherani quicquam obseruan dum Christianis esse, quod nominatim in sacris literis non sit positum? Nunquid ita se Deus astrinxit scripturæ, ut nihil potuerit iubere aliud quam quod scripto commendatum sit? Scilicet verò æquum sit mortalis principis præcepto voce tantum factio nos parere, ut scripto: & iniquū nos obedire immortali Regi aliter quam scripto mandanti? Vnde ista vesana animi crassities? Sed non innotescit (aiunt forsan) quod aliis modis iusserit Deus. Quibus ego. Quis inquam nuntius certior esse potest eo

*1.Tim.3.* quem Apostolus dixit esse firmamen  
tum,& columnam veritatis,id est Ec-  
clesiam:cui iugiter adfistit Dei spiri-  
tus, ipsam quæ agenda sunt, semper  
pro temporis necessitate edocens? Si  
solis scriptis iussis obtemperandum,  
quibus parebant Christiani antequā  
scriberentur? Nam non semper scri-  
pta fuere. Aut quis ausit tuta cōscien-  
tia deierare omnia Christi Aposto-  
lorum vē mandata scripta esse: Cūm  
de Christo legamus à dilecto Apo-  
*Iohn.21.* stolo scriptum.Sunt autē & alia mul-  
ta quæ fecit Iesus: quæ si scribantur  
per singula,nec ipsum arbitror mun-  
dum capere posse eos qui scribendi  
sunt libros.Et Apostolus non omnia  
scribat, sed reliqua cū ad ipsos veni-  
set, polliceatur se dispositurū? Adde  
*2.cor.11.* quod Iudæorum est illud, videlicet  
indigere præceptis scriptis & scripta  
lege:

lege:non Christianorum,in quorum  
cordibus scriptum esse debet Euān-  
gelium,iuxta vaticinium Hieremiacę,  
quod & ad Hebræos producit Apo-  
stolus:Hoc est testamentum quod e-  
go testabor ad illos post dies illos di-  
cit dominus. Dabo leges meas in cor-  
dibus eorum ,& in mentibus eorum  
inscribam eas.Et iterum:Ecce dies ve-  
nient dicit dominus, & cōsummabo  
super domum Iuda testamentum no-  
uum : non secundum testamentum  
quod feci patribus eorum:in die qua  
apprehendi manum eorum,vt edu-  
cerem illos de terra Aegypti . Quia  
hoc est testamentum quod disponā  
domui Israēl post dies illos,dicit do-  
minus: Dabo leges meas in mentem  
eorum,& in corde eorum superscri-  
bam eas:& ero eis in Deum , & ipsi e-  
runt mihi in populum. Non abrogō  
*Hebre.10.*

scriptum Euangeliū, quod ipse exoscular & veneror velut verbum ipsissimum Dei nostri, nulla satis unquam reuerentia habitum, sed molestissimē fero, ita à nebulonibus in ordinē redigi Deum, vt iam nolint illi parere tantum loquenti, nisi etiā scribat quòd fieri velit: & quòd ad imbecillitatis nostræ leuamen factum fuit, ad necessitatē torqueri. Nam testis est diuus Ioānes Chrysostomus, tantum quia futuri eramus negligentes, & memoria parum tenaci, idecirco literis mā datum euangeliū Christi. Admittendum proinde quicquid ecclesia iusserit, tum quòd mater nostra est autoritate prædicta iubendi, tum quòd nescimus plerumque, an quod iubet mandatum potius patris nostri Dei sit. Sed iam scrutāda mystica significatio est. Booz percōtatu-

rus

rus propinquum, & Ruth vxore dūcturus, assumit decem viros de senioribus ciuitatis. Quo mihi nec ineptè significari id primò videtur, quod teste, imò confirmāte, approbātēque lege sua, cùm recusassent Iudæi ecclesiā gentiū sibi adiungere, & spōsam assumere, Christus acceperit, feceritque Christianam. Quod manifestissimum est vel ex linteo illo magno pleno quadrupedibus & serpentibus terræ, & volatilibus cœli, quod Petro visum est de cœlo descendere cum Ioppe esset in domo Simonis Cɔ: iarij. Deinde & ad incarnationis filij Dei mysterium hoc pertinet. Decem enim ille viros testes adhibuit adiungendæ sibi naturæ hominis, id est prophetas omnes, qui de sacramento vaticinati fuerant: vt nemo diceret sibi id temerè arrogasse,

*Act. 10.*

N ij

C O M M E N T A R I A

*Ioan. 5.*

maxime autem ut Iudæi cōuincerentur, qui erāt ipsum abnegaturi & repulsuri. Vnde & cum venisset, increpans illos aiebat. Scrutamini scripturas: quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me: & nō vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Et nominatim Moysēm testē citans Pau lo post addidit: Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Cita uit & Abrahā alibi. Abrahā, inquiēs, pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Hanc ob causam, reor, tum Euangelistas, tum cæteros Apostolos qui scripsere, sollicitos fuisse de producendis propheticis oraculis: videlicet, vt intelligerent Iudæi cōsciis ecclesiæ suæ senioribus

*Ioan. 5.*

*Ioan. 8.*

I N L I B. R V T H.

83

nioribus filium Dei hominem factū esse, desponsasseque sibi nostram naturam, præter peccatum.

Quod attinet ad partē agri Elimelech quam vendidit Noemi, ea mihi videtur portionem hominis significare, quam ille spe habebat in terra viuentium, antequā initio peccaret. Quæ bene Elimelech, id est Dei mei Regis dicitur fuisse: quia ad terram viuentium nemo vñquam aliud ius habuit, habiturūsve est, quām quod Deus impartit liberaliter homini. Noemi id est pulcherrimus homo *Genes. 3.* (de quo initio huius operis diximus) eam portionem agri vendidit pomo contra madatū gustato, quam Iudæi omnes emere velle videbantur iure propinquitatis, eo quod soli electus Dei populus, imò filij vocabantur: quod soli ritu diuinitus accepto ve-

N iii

rum dominum colebāt: quōd legem cœlitus traditam religiosè obserua-  
bant. Sed nemo accipere partē illam agri potuit quantumvis iustus, nisi prius despōnsata Ruth, id est humana natura diuinæ copulata, & in vni-  
tate personæ coniuncta.

*Luc. 15.* Sed in quo Iudæi propinquiores erant quām filius Dei? nōnne homines erāt quomodo natura à filio Dei assumenda? Certe. Sed tentare debuit homo, utrum se, quomodo vendiderat, ita redimere posset. Quōd cùm supra vires suas intelligeret esse, Deo salutē suam permitteret. Quomodo verò tentauit? Quando post lapsum suum fleuit, sperans fortassis futurum, ut clementissimus Deus retractaret sententiam. At contempse-  
rat tum pœnitere, cum necessarium fuit, ac potuit pœnitentia benignissi-  
mum

mum dominū flectere. Quippe scribit diuus Augustinus: Cum in paradi-  
so reus homo de perpetrata à domi-  
no argueretur inobentia, non se hu-  
militer, ut culpa exigebat, accusauit:  
sed auctore superbè accusauit, dicens:  
Mulier quam dedisti mihi, dedit mi-  
*Gene. 3.* hi fructum, & comedì. Hæc dicendo  
se putauit excusatū: & sic creatorem  
accusauit mulieris conditorem, quæ  
virum traxerat in culpam. Qui si hu-  
militer se accusasset, & in auctorem  
suum culpam non retorisset, à para-  
diso non exulasset. Erat autem cōtra  
diuinam iustitiam, si reum impoeni-  
tentem in pristinum gradum resti-  
tueret, & non usque ad dignum pœ-  
nitentiæ fructum, qua vellet ratione  
compelleret. Diuina itaque sententia  
morti est adiudicatus, & cū tota po-  
steritate, quæ de lumbis eius erat pro-

cessura, electus est de paradiso, & erū  
noso condēnatus exilio. Ita sanctus  
pater Augustinus, Ex cuius verbis il-  
lud constat, quòd tēpus resipiscendi  
habuerint, quo mutari diuinū decre-  
tum potuit. Cæterū illo contépto,  
tentauerunt quidam postea mutare  
lachrymis plurimis, at nequiuervunt.

*Qui respondit. Cedo iuri propinquitatis.*  
*Neque enim posteritatem familiæ meæ*  
*detere debeo. Tu meo viere priuilegio, quo*  
*me libenter carere profiteor. Hic propin*  
*quis mihi videtur nondum vxorem*  
*duxisse, ac propterea deditatū con-*  
*iugium Ruth Moabitis, quòd proles*  
*ex ea suscepta, præsertim primogeni*  
*tus penes quem esse tum videbatur*  
*tota dignitas liberorum, nō suus, sed*  
*Mahalonis viri olim Ruth diceretur.*  
*Id quod ipse nominat deletionē suæ*  
*familiæ. Tanquam dicat: Ego diues*  
sum

sum, & dign⁹ qui nominis mei poste-  
ros habeam: qua felicitate me spolia-  
uero, si viduam hāc duxero vxorem.  
Nunquā id facturus sum. Tu proin-  
de emendæ possessionis ius, quod a-  
lioquin meum erat, accipito, tibi ego  
relinquo priuilegium. Nam et si cau-  
tum lege erat, vt defuncti fratri, vxo  
Deut. 25, rem frater superstes duceret: at nus-  
quam defuatur vt si frater ille iam a-  
liam habeat, cùm priore alterā fratribus  
mortui accipere cōpellatur. Quan-  
quam quia nec huius oppositū scri-  
ptura cōtinet, non admodum refragor,  
quum qui iam alterā habuisset,  
& hanc quoque cogeretur ducere.  
Cum tamē soleat zelotypia familia-  
ris esse coniugibus, cunctor assentiri,  
quòd lex maritos huic fœminei zeli  
discrimini obstrinxerit. Quibus hæc  
sententia nō probatur, exponunt il-

Iud, neque enim posteritatē familiæ  
meæ delere debeo, id est non debo  
ex altera liberos accipere, quos alere  
non potero absque iactura priorum.  
*Vt* vt est, interim videtur hīc propin-  
quus peccasse qui legem violauerit,  
in qua iubetur mulier contēpta à le-  
uiro ipsum ad seniorum tribunal ac-  
cessere, ibique discalciare, & in ipsius  
faciem spuere, tanto opprobrio, vt  
vulgò appelletur domus ipsius do-  
mus discalciati, meritò videlicet con-  
téptæ sororiæ viduæ. Cæterūm quod  
ad mysticū sensum attinet, hæc vox,  
cedo iura propinquitatis, nō Iudæo-  
rum est tantūm, sed omnium: non ho-  
minum modò, verum etiam angeloi-  
rum. Quippe nulla creatura idonea  
fuit quæ naturam humanā assume-  
ret, fierētque illius peculiaris & to-  
tius Ecclesiæ communis sponsus. Ita-

tamen

tamen congruit omnibus creaturis  
hæc professio, vt liceat semper, imò  
vero oporteat nos acclamare Chri-  
sto, non cedo iuri propinquitatis,  
quantum quidem ad salutem meam  
potest conducere. Tu os nostrum, ca-  
ro nostra, & frater noster es, homo  
similis nobis, passibilis factus pro-  
pter nos, vt salutem assequeremur.  
Ego iuri illius propinquitatis nun-  
quā cessurus sum. Nulli permisurus  
privilegium meū quod ego in Chri-  
sto habeo. Ecquod verò illud est tā-  
dem? Ex seruo peccati liber fio, cùm  
volo, & si absque illo effenō possim:  
quippe seipsum negare non potest  
quærerentibus: Mecum est cum peto,  
imò verò in me est cùm lubet sume-  
re. Hoc ius meum est apud ipsum, vt  
peccata, & accipio: quæram & inue-  
niām, pulsem, & aperiatur mihi. Hoc

inquam priuilegium meum est, vt quo humilior simpliciorque fuero coram ipso, charior illi sim, & aptior capessendis charismatib<sup>o</sup> cœlestibus. Hoc priuilegio nemo, qui sapit libe- ter, se cariturum profitebitur.

*Hic autem mos erat antiquitus in Israël inter propinquiores, vt si quando alter alteri sua iuri cedebat, vt esset firma conceſſio: soluebat homo calceamentum suum, & dabat propinquo suo. Hoc erat testimonium cœſionis in Israël.* In Deut. 25. *teronomio huius consuetudinis au-  
ctor Moses, domino iubente, ita præ-  
scripsit. Quādo habitauerunt fratres  
simul, & vnuſ ex eis absque liberis  
mortuus fuerit, vxor defuncti nō nu-  
bet alteri, sed accipiet eā frater eius,  
& fuscitabit ſemen fratris ſui, & pri-  
mogenitum ex ea filium nomine il-  
lius appellabit, vt non deleatur no-  
men*

men eius ex Israel. Sin autem nolue- rit accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portā ciuitatis, & interpellabit maiores na- tu, dicētque: Non vult frater viri mei fuscitare ſemen fratris ſui in Israel, nec me in coniugem sumere. Statim- que eum accersiri faciet, & interroga bunt. Si responderit: Nolo eam vxo- rem accipere, accedet ad eum mulier corā senioribus: & tollet calceamen- tum de pede eius, ſpuētque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini qui nō ædificat domum fratris ſui. Et voca- bitur nomen illius in Israel domus diſcalceati. Quod Mosis præscriptū cogit vt præſentē ſcripturam ita in- terpretetur. Soluebat homo calcea- mētum ſuum, id est patiebatur aufer- ri à fœmina quam recuſabat, & dari propinquo non dedignantि ſibi illā

adiungere vxorem . Niſi magis arri-  
det quod quibusdam viſum fuit , vi-  
delicet id modò præceptum fuſſe , vt  
exueretur recusator calceamento . Ce-  
terū haud ita intereffe , vtrum ab  
ipſo , an à fœmina recusata , an à pro-  
ximo altero ducente deſpeſtam . Cer-  
tè illa duo priora probabilia ſunt ,  
tum ex Deuteronomio , tum ex hoc  
loco scripture . Tertium innuit diuus  
Baptista in Euangelio , cùm de Chri-  
ſto loquens : Non ſum ( ait ) dignus vt  
ſoluam eius corrigiam calceamenti .  
Quasi dicat : Etsi ille defugeret Mes-  
ſiæ munia , nollé que humana natu-  
ram ſibi deſponsare ad genus homi-  
num redimendum : ego non ſum di-  
gnus , qui ſoluam corrigiam calcea-  
mēti eius , mihi que adiungam quam  
ille abiecerit dedignatūs veſuerit . He-  
brai ita illud Deuteronomij expli-  
cant ,

cant , vt velint præceptum de ducen-  
da fratria ad illos tantum fieri , qui in  
eadem ciuitate aut villa habitarent ,  
quia in mandato cauetur , Quoniam  
habitauerunt fratres ſimul , id eſt ( vt  
volunt ) quando eodem loco poſſeſ-  
ſio vtriusque , fratriſ & fratriæ . Rur-  
ſus ſi poſt fratrē defunctum , alius pa-  
tri filius naſceretur , iſ ( aiunt ) non te-  
neretur præcepto fratriæ ducendæ :  
quod ex ſpecie sermonis appareat do-  
minum de iis modo dicere qui fratri  
conuixerē . At aduersatur huic ſecun-  
dæ conditioni primum caput huius  
libri , vbi Noemi ad nurus dixiſſe le-  
gitur , Reuertimini filiæ meæ , & abite . *Ruth. I.*  
Iam enim ſeneſtute cōfecta ſum , nec  
apta vinculo coniugali . Etiam ſi po-  
ſem hac nocte concipere & parere fi-  
lios , ſi eos expectare velitis donec cre-  
ſcant , & annos pubertatis impleant ,

Leuit.18.

antè eritis vetulæ quām nubatis. Frustra verò ita esset loquuta Noemi, si qui post fratris mortē nati sunt, hoc non astringerentur præcepto. *Enim uero quia in Leuitico scriptum est.* Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui est, putauere quidam præceptum illis tantūm esse ducendæ fratris viduę qui consanguinei essent quomodo libet alias, modò ne fratres. Maximè cùm in multis exemplaribus vetustis legatur illico ante mādatum, vxorem

*Genes. 14.* fratris sui nullus accipiat: Et fratris 20. 29. *et* nomen sexcenties in scriptura sacra

25. pro cognatis visitur positū: tum qui norunt Hebraicè dictionem וָאַיִלְלֵה non fratrem tantūm significare dicunt, sed cognatum propinquūmque ducēdæ superstiti vxori idoneum. Alioqui solis fratribus mādatum id esset,

non

non autem cæteris consanguineis: quod tamen aduersatur huic scripturæ loco. Veruntamen cum simpliciter ab omnibus authoribus Hebreis, tum Latinis, Græcisque citra controvèrsiā visus sit Moses fratribus quoq; & maximè ea præscripsisse, ita accipiendum est. Nam vt non negauerim fratris nomine significari quoque cō sanguineos & cognatos, ita affirmauerim in Hebreo non haberi illud, vxorem fratris sui. Id tamē nullus accipiat, vel teste Lirano, qui planè scribit adiectum esse: & emēdatiores ætatis suæ codices id non habere. Vetat igitur vt ne cum viuentis fratris vxore repudiata quis dormiat. Sed quærat diligens lector. Cur abnuentis potius calceus auferebatur, dabatúrque alij propinquo ducturo fratriā, quā pignus aliud tum ditius, tum nobis-

O

lius, ne dicam ad fidem olim facientiam certius? Cur despecta in leuiri faciem dispuebat? Evidem suspicor apud filios Israel probrosum fuisse nudis incedere pedibus: propter quod ut puderet abnuere fratrem, iusserat dominus auferri calceamenta recusatoribus, videlicet ut illi nudis plantis domum reuertentes omnium populorum pateretur ludificationem. Ob quam causam alter propinquus qui duxisset dimissam, penes se calceamentum retinebat, ut haberet quo pudorem alteri iniiceret, si quando ille arrogantior factus contumeliis aduersum se usurpus videretur. Cæterum ut extraneo similis iudicaretur, qui erga propinquum pius esse noluisset, sufficitudo semen fratris mortui: mulier despecta in faciem contemptoris excrebat. Tegunt autem hæc mysteria pluri-

plurima, ipsaque pulcherrima: quæ ut recludam, non referam ad Ecclesiæ. Illa enim nec iubetur propinquos petere spōsos, nec defugere vetatur: ut quæ iusta Prophetam, non *Micah. 3.* ædificetur in sanguinibus, nec cognitione impetretur, teste Christo ipso, qui duobus consanguineis petentiibus, respondit: Nescitis quid petatis. *Math. 10.* Sedere ad dextrā & sinistram meam in regno meo nō est meū dare vobis: Et sit dignus omni ignominia, qui cū possit autoritate vel doctrina iuuare Ecclesiæ, dedignatur aut negligit. Sed quanto magis in culpa sunt, qui agrū Ruth, id est Ecclesiæ possessiones & redditus accipiūt: spōsos autē nolunt agere, aut spōsæ curā suscipere? Hæc ergo potius cū significet incarnationis filij Dei secretū, ad ipsam referenda sunt. Mortuo viro absq; liberis, id

## COMMENTARIA

est postquam peccato suo Adā se suos-  
q; regni cœlestis hereditate spoliauit  
( nā quotquot ille genuit ) si nō Deus  
adoptasset , nothi omnes spuriique  
erāt , & indigni Dei regno: natura hu-  
mana, per quam certum erat ab æter-  
no nos redēptum iri, per totam mor-  
talium cognitionem sponsum quæ-  
rebat: nec inuenit quoad filius Dei ea  
de causa è sinu patris æterni in hunc  
mundum delapsus est . Qui vt venit,  
non ante illam sibi pactus est quam  
propinquus calceamenta sibi vel ipse  
soluerit, vel solui sit passus . Ego hīc,  
mira omnino ratione , calceamentū  
appello regium Iudæorum diadema  
& Aaronicum sacerdotiū : ante quo-  
rum desitionē & finem Christus non  
erat venturus, sicut scriptum est: Non  
*Genes.94.* auferetur sceptrum de Iuda , & dux  
tendus

## IN LIB. RVTH.

107

tendus est: & ipse erit expectatio Gé-  
tium. Et, iurauit dominus, & non pœpsal.109.  
nitabit eum : Tu es sacerdos in æter-  
num secundum ordinem Melchise-  
dech. Quo psalmi versu apostol⁹ Pau-  
lus in ea quæ est ad Hebræos scripta *Hebr.6.*  
epistola, contendit auferendum leu-  
ticum sacerdotiū. Sed qui cōgruunt  
calceamenta pedum(ais) cūm diade-  
mate & tyara(quæ sunt capitis orna-  
menta) accipe . Nónne si rex capite  
humi nixus , pedibus autem sursum  
in cælum porrectis, ingredieretur, ca-  
put illi pro pedibus esset, & pedes ca-  
pitis loco? Nónne pileus quoque quā-  
tumuis regius pro calceamentis esset,  
& pedale pro pileo regio ? Atqui ita  
tum fuit cūm venit Christus ad ho-  
mines. Reges, id est non gentiū tantū  
verum etiam sacerdotes Iudæorū pe-  
dibus calcitrabant contra coelum, id

O iii

est vera bona , quæ è cœlo petuntur,  
contemnebāt,& irridebant:terræ au-  
tem capitibus, id est animo inhære-  
bant,atque humi affixi agebātur. Præ  
posterum istud præposteri pedis cal-  
ceamentum auferendū fuit, reponen-  
dūsque homo in pristinam viuendi  
optimāmque rationem:ob quam,vel  
*buid. Me.* teste prophano poeta,prona cū pro-  
*zamor. i.* spectent animantia cætera terram,os  
homini sublime dedit,cœlūmque vi-  
dere:Diademata(inquam) Augusto-  
rum & regum luto inquinata propin-  
quo Christo tradita sunt,non frāgen-  
da aut in massam fundēda: sed ipsius  
mundāda sanguine & inaurāda me-  
llorāque reddenda . Tradita autem  
sunt cum fidem illi admisere & Chri-  
sto subiecti sunt . Nec ineptè magi-  
stratus illos supremos pedes nun-  
cupasse me video,qui fulcia sunt rei-  
publicæ

publicæ . Autoritate enim principū  
& religione pōtificum velut quibus-  
dam pedibus,non sustinetur modo,  
verumetia quolibet fertur Reip.cor-  
pus,vel teste sapiente Salomone, qui  
dicit : Rex qui sedet in solio iudicij,  
dissipat omne malum intuitu suo . Et  
dissipat impios Rex sapiens . Iterum,  
Rex iustus eriget terram . Et princeps *Prover. 20.*  
qui libenter audit verba mendacii *Prover. 29.*  
omnes ministros habet impios . Aper-  
tius autem in Ecclesiastico: Iudex sa- *Ecclesiast. 10.*  
piens iudicabit populū suum, & prin-  
cipatus sensati stabilis erit . Secūdum  
iudicem populi , sic & ministri eius:  
& qualis est rector ciuitatis , tales &  
inhabitantes in ea . Rex insipiens per-  
det populum suum, & ciuitates inha-  
bitabuntur per sensum prudentium,  
De sacerdotibus autem, Sicut popu- *Esd. 24.*  
lus,sic & sacerdos.

Dixit ergo propinquus suo Booz, Tolle calceamentum. Quod statim soluit de pede suo. At ille maioribus natu, & uniuerso populo. Testes vos, inquit, estis hodie quod possederim omnia quae fuerunt Elimelech & Chelion, & Mahalon, tradere Noemii: Et Ruth Moabitidem in coniugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in haereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua ac fratribus & populo dcleatur. Vos, inquam, huius rei testes estis.

Sedulo curati iudex & rector populi Booz, ne quid iniquum gessisse dici possit cōtra proximum, & contra legem, qui totius populi sui actorū testimonium gerit. Cuius exemplum vtinā peteret quae dicitur nobilitas Christiana. Sed hinc emergit duplex perplexitas. Vna, quā citra culpā duccere alienigenam Booz potuit præfertim Moabitidem: Cum scriptum esset

est in Exodo, Non ineas pactū cum hominibus regionum illarum, nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. Et in Deuteronomio, Ammonites & Moabites etiam post decimā generationē non intrabunt Ecclesiā domini. Altera cūm lex iusserrit ut primogenitus fratri suscitatus de nomine ipsi diceretur, cur Obed, quem ex Ruth suscepit, nō est nominatus filius Mahalon potiusquam Booz? Cur etiam non est recensitus Mahalon, cui Obed nuncupabatur in Genesi saliatoris? Soluitur prima quæstio, parim ex scriptura, partim explicatione authorū. Nam cūm in Exodo dixisset dominus. Non dabis uxores de filiabus ipsorum filiis tuis, causam subecit: Ne postquam ipsae fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos. Itaque ubi

*Exod. 34.*

*Deut. 23.*

*Deut. 25.*

*Exod. 34.*

idololatrię periculum non impe-  
debat, velut in connubio Booz, duci  
alienigena potuit. Rursus ammoni-  
tes tantum & Moabites, non ita am-  
monitis & Moabitis vetatur intrare  
Dei Ecclesiam: ut intelligamus de vi-  
ris solis intelligi praeceptum. Cuius  
hanc causam assignat authores He-  
brei, quod cum non pateretur filios  
Israël Moabitæ viam per terrā suam  
facere, sed armati stareit ad obsisten-  
dum: Mulieres Moabite siue misera-  
tione, siue metu futuri nali perculse,  
extra fines cibaria copabant alen-  
dæ multitudini. Ob cius memoriā  
non interdicitur Israë cōnubio fœ-  
minarum Moabitidam, sed viro-  
rum. Ad alteram respondeatur, quod  
& si primogenitus defuncti in sua fa-  
milia locum teneret, isumque, ut  
loquitur, repräsentaret, equester ta-  
men

men & nomen & cognomen serua-  
bat naturalis patris: quemadmodum  
Ioseph virginis deiparæ sponsus. Ab  
Euangelista Matthæo filius Mathan <sup>Matth. 1.</sup>  
nominatur, à quo verissimè ac natu- <sup>Luc. 3.</sup>  
raliter esset genitus: licet idem à diuo  
Luca fermè dicatur Heli, qui vxori  
nullos dederat liberos, quam postea  
legis urgente præcepto Mathan du-  
xerat. Proinde nihil cunctandum in  
eo quod nusquā in Genethlia Chri-  
sti Mahalon non nominatur.

Iam quod ad mysterium pertinere  
videtur. Propriet Christus unus ac so-  
lus profitetur, teste modo vniuerso,  
angelis & hominibus, Posset omnia  
que fuerunt Elimelech, id est primo-  
rum hominum. Quippe qui in nullo  
delicti ipsorum erat particeps: non  
debuit, nisi quatenus voluit, poenas  
corporis ultionemque sentire. Cate-

## C O M M E N T A R I A

rūm quod acceperant animæ tum exornandæ, tum perficiendæ causa, quidque suo illi amisere peccato, non debuit tanquam vniuersali præjudicio spoliari is, qui non communi generationis modo homo factus esset, iustitiam proinde originalem, vniuersorum claram cognitionē, & reliquas à Deo conditi initio hominis dotes habuit, tradente Noemi, id est sacratissima virgine matre, pulcherrima illa filiarum, & benedicta inter mulieres. Non quod in facultate virginis essent priuilegia huiusmodi filio tradere: sed ille homini impariuit, quem in vtero matris sibi adunauit.

*Respondit omnis populus qui erat in porta, & maiores natu. Nos testes sumus, faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel &*

*Liam,*

## I N L I B. R V T H.

iii

*Liam, quæ ædificauerunt domum Israël: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem, fiat que domus tua sicut domus Phares, quem peperit Thamar Iude, de semine, quod dederit tibi dominus ex hac puella.*

Mos receptissimus veterum fuit, vt nouis coniugibus beneprecarentur fœcunditatem & fœlicitatem liborum ac familiæ, vt appareat ex 24. capitulo Genesios, & 9. Tobiae. Quem imitata mater ecclesia, quos ad matrimoniū admittit sacramētum benedicendo, ipsis optat sobolis fœcunditatē, longæuitatem, & erga virum fidelitatem Sarræ, Rebeccæ prudentiam, & Rachelis cum viro suo gratiā & charitatē. Hoc modo & ciues Booz necipiunt, optantes Ruth fœcunditatem Rachelis Liæque vxorū Iacob, quæ ædificauerunt domum Israël. Vi

*Genes. 24.  
Thob. 9.*

dentur cum liberis vxoribus accipi & cōcubinæ suæ ancillæ Bala & Zelpha, quarum fuêre quatuor ex duodecim filiis Iacob. Rachel enim duos *Genes. 30.* tâtum peperit, Ioseph & Beniamin: Lia sex, Ruben, Simeon, Leui, Iudam, Isachar & Zabulon: Et Bala ancilla Rachel peperit duos, Dan & Nephtali. Zelpha verò & ipsa duos, Gad & Aser.

Quod additum est, vt sit exemplū virtutis in Ephrata, & ad commēdationem Ruth dictū videtur: quæ ita modestè se gescit, vt optent Hebræi ceteras fœminas etiā generis sui exemplum de ipsa capere. Quanquam nō ignoro quosdam sic vertisse. Tu age strenuè in Ephrata, & fias magni nominis in Bethlehem, vt Booz dictum appareat: at consentientibus reliquis penè omnibus, nostra æditio potior est

est hac recente. Optent insuper vt de semine quod Booz dominus dederit ex Ruth, fiat domus ipsius sicut do- *Genes. 38.* mus Phares, quē tulit Iudas ex Thamare nuru sua, id est, vt liberi quos Ruth illi paritura esset, principatum populi haberēt, perinde, vt Phares, & reliqui ordine posteri Iudæ, principes suę tribus extitère. Id quod Booz propè omnimodo cōsequutus est, vt illi. cupuerat. Nā velut parū honesto cōcubitu editus est Phares, qui tribus Iudæ princeps fuit post patrē. Ita Salomō post Dauidē rex fuit, ipse le- *3. Reg. I.* gitimo quidē cōiugio editus, sed ma- *2. Reg. II.* tre olim parum pudica. Mysticè, præter illos, quos antè diximus, significatores esse seniorū nomine qui Booz as sidebant: in presenti per populū qui erat in porta, simplicitatē pastorum qui in porta, id est in ipso propemo-

*Luc.2.**Luc.2.**Luc.2.*

dum ortu seruatoris adfuere, existimmo figurari, qui pro modulo attestati sunt mysterio incarnationis & assumptæ à filio Dei humanitatis nostræ. Quippe de illis scribitur, Et reversi sunt pastores glorificatæ & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderat sicut dictum est ad illos. Per maiores natu<sup>r</sup>, Simeon(ni fal lor) & Anna Phanuelis significatur, de quibus ita Euangelista: De Simeone quidem: Nunc dimittis seruum tuum domine, secundum verbū tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. De Anna vero, Hæc ipsa hora superueniens confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabat redēptionem Israël. Optarunt autem pīj omnes summis votis, vt natura diuinitati vñita, similis esset Racheli & Liæ, essetque exempl

plo

IN LIB. R VTH. 113  
plo virtutis in Ephrata, & celebre non men haberet in Bethlehem. Rachel interpretatur ouis: Lia, fatigata vel laborigosa: quæ quām quadrēt in Christū nemo nescit qui legit in Propheta: Tanquam ouis ad occisionem dūctus est, & tanquam agnus corā tondente se obmutuit. Et in Euangelio: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata *Ioan.1.* mundi. Rursūque, Iesus fatigatus, *Ioan.4.* sedebat sic super fontem. Fuit itaque Rachel & Lia: quarum exemplo aedificauit domum veri Israël, id est Ecclesiam Dei. Est & exemplum virtutis in Ephrata. Si sequeremur Luterani cuiusdam interpretis versionē, qui pro virtute reddidit strenuitatē: cōtraspem deplorati hominis, alioquin tamen docti, significatur nobis nomine potentiae illius maxime, qua ysus est in Ephrata, id est ybertate, in-

*Efa.53.*

P

stitutio augustissimi sacramenti Eu-  
charistiae, in quo instituendo patefec-  
it Christus quantum potens esset &  
strehuus, & quantis dicituris futos locu-  
pletare cuperet. Sed ut nihil ab im-  
mundo accipiamus, satis illud nobis  
indicatum est eo quod sequitur, Et  
habeat celebre nomine in Bethlehem,  
id est panis domo. Ecclesia enim chri-  
stiana propriè Bethlehem nominan-  
da est, quæ pane diues sit illo qui de  
cœlo descendit, quem suis Moses non  
præbuit ad vescendum: quo denique  
Angeli vescuntur in cœlo. Cæterum  
inde celebri ac claro nomine Chri-  
stus in Bethlehem hactenus fuit. Ter-  
mis ferrimi homunciones, qui contra  
cibum adlatrāt, & manus domini ita  
debilitare moliuntur, ut (si illorū vo-  
tis subiiciatur) iam nihil possit effi-  
cere, nisi quod stulti ipsi agitarēt. Est

Chri-

*Ivan. 6.*

*Ephes. 3.*

Christus potens (ait Apostolus Paulus supra quām intelligimus. Denique ipsius domus facta est sicut domus Phares quę principatus insignibus ceteras Israelis tribus præcelluit. Nam ex his quos Ruth, id est fides in ipsum genuit ac peperit, perfecit, teste Paulo Ecclesiæ, quæ domus sua est, quosdam Apostolos, quosdā Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad cōsummationem sanctorum. Quo magis infanire vi- dentur hæretici nostri temporis, qui matris Ecclesiæ hierarchiam aboli- re moliuntur, ut inconditum & inor dinatum gregem de Christiana Ec- clestiæ republica faciant. In quo ne- mo aliis maior sit, sed omnes sint iubendi atque perdedi authoritate pa- res. Vnde quid aliud expectes, quām ut omnis obedientiæ (quam tamen

P ii

*1. Corin. 12.*  
*Ephes. 4.*

## COMMENTARIA

Roma. 12.

malle se Deus quam sacrificium dicit) fructus abeat: immo subbeat omnis irreuerentia mutua, & pereat honor ille quo iubemur ab Apostolo nos inuicem præuenire: oriatur neglectus primò, deinde contemptus diuinorum rerum: cum nemo tum futurus sit qui compellat, & non desiturus sit inuisibilis inimicus qui pietas suadeat obliuionem.

Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: ingressusque est ad eam, & dedit illi dominus ut conciperet & pareret filium. Dixeruntque mulieres ad Noemi. Benedictus dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuae, & vocaretur nomen eius in Israel, & habebas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. De nuru enim tua natus est qui te diligit: & multò tibi melior est quam si septem haberet filios. Suscepimus que

IN LIB. RUTH. 115

que Noemi posuit in sinu suo, & nutritis ac gerulæ fungebatur officio. Vicina autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: Natus est filius Noemi. Vocauerunt nomine eius Obed. Cum aperta sit litera, tractandum mysterium. Ex Deo patre, & matre natura humana inenarrabili vniione, velut connubio sociatis, editi sumus nos Christiani partu mystico & spirituali per fidem: qui & unicus esse debemus: vnitate charitatis, & mutuæ adinuicē dilectionis & masculi, cōstantia cōfitedæ, tuendæque religionis. Quorum omnium hæc vox vniuerso ac summo cōsensu esse debet generi nostro cōgratulantiū. Benedictus dominus qui non est passus ut deficeret successor familiæ nostræ. Omnes enim culpa patris primi nothi euaseramus, & exortes hæreditatis: verum ille reliquit nobis semem,

P iii

## C O M M E N T A R I A

Esa. x.

imò fuscitauit, ne tanquam Sodoma essemus, similésque Gomorrhæ. Misit (inquam) filium suum, qui generis nostri particeps effectus, successor verissimus fuit: ut poteret quem non tangere vitium parentum nostrorum, & per ipsum nos, qui fidem ipsius adepti sumus. Tanta res, tantum Dei erga nos meritum, vel extorquere potest, ut illum collaudemus, nobisque ipsis propter illum ad blandiamur. Quippe quoru[m] mœrori tam ingens solarium prouidit in aduersis profuturum, & senectuti nostræ præsidium. Proinde iam non contabescamus spestantes totum hominum olim Christianorum milia, nunc vero abominandis sectis a Christo disiunctorum, & heresēon toxicō corruptorum, aduersus orthodoxam catholicæ Ecclesiae, cui Romanus pontifex perpetuo ordine-

IN LIBR. VTH. 116

dine iam à beatissimo Petro apostolorum principe præsidet, fidem religionemque insurgere. Prospexit Ecclesiæ suæ Deus, fideliumque famulorum senectuti: etiam vel iam decrepitæ Ecclesiæ (si sic permittor citra dignitatis iniuriam dicere) suus sponsus feret suppetias. Tantum animo bono opus est, ut modestiam posthaec nostram notam fieri omnibus hominibus: quia dominus prope est. De nuru nostra Maria Dei genitricē natus est, qui nos diligit Christus verus ille Obed: qui venit non ministrari, sed ministrare, & operari salutem in medio terræ. Nam Obed lingua Hebræa seruum operariūmque significat. Is nos ita dilexit, ut secundum tempus pro impiis mortuus sit, cum vix pro iusto aliis quisquam au deat mori: & maiorem charitatem *Roma. 5.* *Io. xii. 15.*

P. iiiii

netno alius habeat ea qua ponit animam suam pro amicis suis . Sed cur Mariam Christi matrem appellauit nūrum nostram,id est Adami : cuius est filia,sorórque omnium nostrum?  
*Matt.10.* Nupsit filio Adami sanctissimo Ioseph , sine vlo tamen dispendio pudicitiae virginalis . Est proinde nūrus & filia. Quanquam alio quodam modo nūrus dici potest. Vt enim nūrus nō sunt filiae naturales , sed adscititiae siue adoptatæ : sic Maria filia quidem est naturalis Adæ , sed non prorsus vt nos,qui cum natura accēpimus à patre culpam originis , cuius illa expers fuit . Si non placent hæc , intelligat lector , citra iniuriā vllam scripturæ voluntariam hæc scripta esse , & piorum iudicio castiganda proposita . Nos interim Christum Mariæ filiū toto peccoris , cordisque finu,

finu , instar Senis illius Simeonis iu-  
Luc.2.  
 sti, qui in vlnas oblatum accepit , &  
 nos accipiamus teneamusque tam  
 strictim , vt non nos deserat in poste-  
 rum tempus . Fūgamur officio geru-  
 læ nos quibus dictum est:Glorificate I.Cor.6.  
 & portate Deum in corpore vestro ,  
 exemplo illius qui dicit: Séper mor-  
2.Cor.4.  
 tificationem Iesu Christi in corpore  
 nostro circunferamus , vt vita Iesu  
 Christi manifestetur in corporibus  
 nostris . Semper enim nos qui viui-  
 mus in mortem tradimur propter Ie-  
 sum , vt & vita Iesu manifestetur in  
 carne nostra mortali.

Hic est pater Isai patris Dauid. He sunt generationes Phares. Phares ge-  
 nuit Efron,Efron genuit Arā , Aram  
 genuit Aminadab.Aminadab genuit  
 Nahasson,Nahasson genuit Salmon.  
 Salmon genuit Booz , Booz genuit

C O M M E N T A R I A

Obed, Obed genuit Isai, Isai genuit  
Dauid. Cavit spiritus sanctus, quo a-  
spirare hic liber scriptus est, vt ne se-  
ries Christi primogenitorum foret  
olim dubia: propter quod curauit vt  
scripto commendaretur. Nam non  
videtur ob quam aliam causam hac  
enumeratione clausus sit hic liber.  
Tantum dubitari possit de Booz, de  
quo penè toto libro agitur, vtrū Sal-  
monis filius fuerit, sed eam quæstio-  
nem in explicatione initij secundi ca-  
pitis expediuiimus.

L A V S D E O P A T R - I ,  
Et filio eius Iesu Christo, Et spiri-  
tu sancto: unius Deo regi secu-  
lorum immortali, cui ego  
omnia mea ope-  
ra diego.

F I N I S .